PARALIPOMENA GRAMMATICARVM GR. LINGVAE INST.

Item,

ANIMADVERSIONES IN QVASDAM GRAMmaticorum Gr. traditiones.

Autore HENR. STEPHANO.

Numeri paginarum lectorem ad eam grammaticen remittunt quæ inscripta est De puerili Gr. literarum doctrina.



ANNO M. D. LXXXI.





Ob. 6, II, 3439

HENR. STEPHANVS LECTORI GRAECAE LINGVAE studioso S. D.



HOMO qui erranti comiter monstrat viam, Quasi de suo lumine lumẽ accendat facit. Nihilominus ipsi lucet, quum illi accenderit, inquit apud Ciceronem Ennius. Quòd si ab ethnicis hominibus inhumanum meritò fuit iudicatum, nolle, monstrando viam, tanquam de suo lumine lumen accendere, non dubium est quin multo magis damnãdi sint inhumanitatis Christiani qui vel hoc officium præstare grauantur. Ego certè hac in parte si peccarem, non tantùm inhumanitatis meritò damnarer, sed etiam degener optimo iure appellarer, omnium ore quibus noti sunt

literarii parentis mei labores. (pauci autẽ sunt qui eos minimè notos habeãt) Quid quòd à meipso etiã degenerare dici possem ab iis qui mea scripta vel à limine salutarunt? Præsertim verò meus Thesaurus Græcæ linguæ testatur, quàm alienũ à meo ingenio hactenus fuerit viam errãtibus nolle monstrare. Fateor quidem certè me ab eo tempore de nõnullis quæstum esse, quibus quum idem postea cõficiendum iter esset, rectam viam sibi ostẽsam tenere noluerũt, vel potius, quòd nõ satis magnam cautionem adhiberẽt, non potuerunt. Hoc in numero est Scapula quidam, in sua mei illius Thesauri epitome: quam tamen Lexicum Græcolatinũ nouum inscripsit. Est etiam is qui Lexicon quoddã ad calcem illorum Bibliorũ adiecit, quæ Antuerpiæ tribus linguis edita fuerunt, Hebraica, Græca, & Latina. Omnia enim ferè illa vocabula quæ ego in Thesauri mei prolegomenis ex errore & fœda ignorantia nata esse ostenderam, ideóque procul amandaram partim ab hoc, partim ab illo reuocata fuerunt. Qua in re perinde profectò fecerũt acsi aliquis, quum iam purgatũ Her-

culeo labore Augiæ ſtabulum eſſet, purgamenta illa in ipſum reportanda curauiſſet.

Verumenimuero quũ paucorum crimen in omnes tranſcribere nõ oporteat, & propter eos qui bene monentibus non parent, etiam parentes lubentiſſimè & gratias illis agentes, auerſari: committẽdum non putaui vt mutati illius ingenii accuſari meritò à quopiam poſſem.

NVNC igitur, quum etiam de quibuſdam monere vellem in quibus errãt grãmatici, & à pleriſque omnibus erratur cum grammaticis (quam enim viam tenerent diſcipuli niſi quam oſtendunt præceptores?) hunc tandem non tam lõgum quàm moleſtum laborem ſuſcepi: & mei inſtituti ſpecimen ſaltem edidi. Quum autem, vt ſuis ſingula locis annotarem, ad paginas grammatices alicuius, quæ ſimul exhiberi à me poſſet, remittẽdus lector foret, & aliquot huius (quæ De puerili Græcarum literarum doctrina inſcribitur) ſupereſſe exemplaria viderem, eius ordinem in meis annotationibus ſequens, in qua quidque pagina quærendum eſſet, admonui.

Iam verò quum à vulgaribus grãmaticis prætermissa etiam esse non pauca, & quidem nonnulla necessaria, animaduertissem, eadem opera adiicere hæc placuit, & *Grammaticarum linguæ Græcæ institutionũ paralipomena*: alteram autẽ partẽ, *Animaduersiones in quasdam grammaticorum traditiones*, appellare. Sed hæc quanuis inscriptionibus separarim, minimè tamẽ seperatim tractaui, sed, velut alternis, modò de iis quæ emendanda, modò de iis quæ adiiciẽda essent, admonui. Illam tamen inscriptionem, *Grammaticarum Græcæ linguæ institutionum paralipomena*, priorem sibi vendicare locum permisi, quòd magis δυσωπος (nescio an fallar) esse videretur.

Verùm accidit vt hoc opus inchoatũ dũtaxat edere necesse habuerim. Quum enim me hoc ipso mense illud editurum promisissem, malui, eius repræsentando partem, fidem meam ex parte saltem liberare, quàm procrastinando vt totum simul opus exhibere possem, promissi mei immemor aut etiam contemptor videri. Vale. XIII. Cal. Octobr. Anno M. D. LXXXI.

HENRICI STEPHANI DE CAVTIONE ADhibenda in legendis grammaticis quorundam scriptis, ADMONITIO.

MIrabuntur fortasse nonnulli quî fieri possit vt quum tot Grammaticarum Græcæ linguæ institutionum scriptores habeamus, illius studiosi meo earum supplemento meisque in eas animaduersionibus opus habeant. Verùm, quemadmodum queritur Horatius quòd scribant indocti doctique poemata passim, ita & nostrum seculum habere sciant quòd queratur non tantùm poemata sed etiam quæuis alia ab indoctis non minus (ne dicam magis) quàm à doctis scribi. Præsertim verò ad Grammaticas institutiones scribẽdas tam Græcas quàm Latinas plerique accedere audent, exigua etiam huius vel illius linguæ cognitione instructi, (quasi vel à rudibus talia scribi rudimenta possint:) & quũ multos præisse videant, saltem nonnisi cum multis erraturos se confidunt: quos ita sequuntur vt plerunque ordine tantùm eorum quæ illi scripserint mutato, de noua quadã lõgè vtilissima methodo à se excogitata gloriẽtur. Quid quòd nõnulli (pudet ah pudet dicere) eodẽ ferè tempore Græcam Grammaticen scribere quo & grammatico cuipiam operam dare cœperunt? Alioqui si non doctrina minor maiórque audacia (vel potius temeritas) posteriorum quàm priorũ scriptorum huius artis fuisset, omnia iam & fideliter & plenè quæ ad linguæ illius institutionem pertinent, tra-

dita esse possent. Tantum enim mihi non arrogo, vt nullas huiusmodi obseruationes cuipiã in mentẽ aut venisse aut venire potuisse existimẽ. Verum ex paucis quos eadem à Grammaticis omissa (aut aliquã saltem illorum partem) obseruasse, & nõnulla etiam ex iis in quæ animaduersiones scripsi suspecta habuisse credibile est, alius fortasse aptus ad talem scriptionem non fuit, quæ in spinoso (vt ita dicam) argumento versatur: alium fortasse tempus in ea ponere piguit. Quod quum dico, de meo certè sensu iudico: quum me diu bonas in ea horas collocare piguerit, ac vix tandem hoc tempore id à me potuerim impetrare: ne nunc quidem tamen impetraturus, nisi mihi quotidie, inter infinitas curas & occupationes, aliáque longè diuersa studia, excidentibus quotidie multis eorum quæ pridem huc pertinentia obseruaram, periculum esse vidissem ne memoria tandem adeo mala fide mecũ ageret, vt iam non aliud quàm eorum desiderium superesset.

Eorũ porro quos dixi maiore audacia vel potius temeritate quàm Græcæ linguæ cognitione instructos ad scribẽdam Grammaticẽ accessisse, antesignanum dicere non dubitauerim Petrum Antesignanum: quippe qui non sõlum in Scholijs quæ in Clenardum scripsit, sed in Praxi quoque (vt ipse nominauit) multa scripserit quæ commenta potius quàm commẽtationes vocare decet, nonnulla verò quæ etiam homine mediocriter huius linguæ perito indigna esse mecum fatebuntur qui vel paucas horas in iis seriò examinandis posuerint.

Sed quam tibi primùm eius grammatices partem

examinandam proponam? Si quampiam in qua sit errorum sylua, tuos oculos primo aspectu non reformidaturos putas, incipiam ab illa enumeratione nominum fœmininorum in ος, quam vs subiungit quæ Clenardus de tertia declinatione scribit. Subiiciemus itaque (*inquit*) ordine alphabetico, primùm fœminina: deinde cõmunia, quæ passim legendis autoribus occurrunt. Quæ verò hîc non enumerabuntur, masculina censeantur.

Fœminina.

Αἴγυλος, Absessus inter nares & maiorem angulum oculorum. Ἄκατος, Nauis genus. Ἄμαθος, Arena, Puluis. Ἄμμος, Arena, Sabulum. Ἀμφοδος, Biuium. Ἄνοδος, Ascensus, Locus inuius & difficilis accessu. Ἄσφαλτος, Bitumen. Αὔλειος, Vestibulum. Βάτος, Rubus. Βένθος, Toga. Βίβλος, Papyrus, Iuncus, Charta. Γέρανος, Grus. Δοκὸς, Trabs, Tignum. Δόκος, Cõsideratio. Εἰκὼς, Imago. Εἴρεσ, Remigatio, Remigium. Εἴσοδος, Introitus, Ingressus. Ἔπάνοδος, Reditus. Ἔρημος, Eremus, Solitudo. Ζυγὸς, Iugum libræ. Ἤπειρος, & Doricè ἄπειρος, Continens. id est Terra firma. Item Annulus. Ἵππος, Equitatus. Pro equo verò est masculinum. Κάρδοπος, Arca panaria. Κιβωτὸς, Arca. Κῦφος, Vas concauum & exculptũ, quod dicitur Nauicula. Λαοφόρος, &c.

Omitto enim cætera, quum vel hæc sola satis amplam mihi materiam inuehendi in eius audaciam pariter & ignorantiam (aut certè audacem ignorãtiam) suppeditent.

PRIMO enim, nisi audacia, & ea quidem longè maxima, ad summam ignorantiam accessisset, nũquam polliceri ausus fuisset se omnia substantiua fœminina vel communia in os enumeraturum.

SECVNDO, nisi tyro fuisset, etiamsi multa præterijsset, at non ea saltẽ quæ sunt vulgaria. Cuiusmodi sunt, δρόσος, πύελος, τάφρος, κάμινος, μήριν θος, βάλανος, νάρδος, βῶλος, δέλτος, μίλτος. Nam ἀσάμινθος, ἄτριβολος, ἄκολος, (vt à litera α non discedam) aliquis inter vulgaria minimè esse ponenda, respondere fortasse. Ac certè ἄτριβολος, sicut & βῶλος, scio etiam esse qui inter communia ponant.

TERTIO, etiamsi hæc illum fugissent, at fugere non debebãt quæ σύστοιχα erant eorum alicui aut aliquibus quorum mentionem faciebat. Exempli gratia, quædam ex ὁδὸς deriuata recensens, recordari horum etiam debebat, ἄφοδος, ἔφοδος, ἔξοδος, κάθοδος, πάροδος, πρόσοδος, συνώδος. Hæc enim aut saltem horum pleraque, hominem vel mediocriter in Græca lingua exercitatum non fugissent.

Quòd si saltem imperitiæ suæ conscius sibi fuisset, non contrà valde peritus sibi visus fuisset, post ὁδὸς addidisset, Et omnia substantiua quæ ab hoc nomine originem habent.

QVARTO, nisi magna eius inscitia fuisset, togam à Græcis non βένθος sed τήβεννος appellari sciuisset. at βένθος, poetis potius quàm solutæ orationis scriptoribus vsitatum, fundum seu profunditatem significare, & neutrius generis, non fœminini, esse. declinari enim vt τεῖχος.

Sed nec κῦφος (vt omittam, suspectum esse posse ne

pro σκύφος irrepserit) neutrius esse generis, non autē fœminei, ignorauisset.

In εἶρος item minimè deceptus fuisset, & in εἰνός: in hoc, quòd imago à Græcis non εἰνὸς dicatur, sed εἰνὼς, εἰνοῦς, vel εἰνὼν, όνος, &, quidem vsitatius: in illo, quòd remigationem Græcos eo appellasse vocabulo neverisimile quidem sit.

Nec tribus modis in ξένθος falsus fuisset: primùm, fœminei esse generis, deinde togam significare existimando: postremò cum βρένθος etiam confundendo, & non solùm togæ sed & anatis significationem illi tribuendo.

Atque adeo in ipso huius enumerationis limine non tam fœdè lapsus esset, vt ἀγυλος, cum vulgaribus superioris temporis lexicographis, abscessum esse internares & maiorem angulum oculorum, existimaret: sed ἀγίλωψ & ἀγχίλωψ, vt apud medicos omnes hac in significatione occurrūt, ita illi quoq; cognita fuissent: quū ἄγιλος (& quidem per ι, non υ) sit frutex cuius esu capræ delectantur.

Quinto, alia tam multa peccans, in hoc sal tem nō peccasset, quòd illa etiam quæ adiectiua sunt pro substantiuis habeat. Nec verò dubium est quin sicut τροχήλατος (vt cætera omittam) substantiuis immiscuit, ita etiam quæ huic σύζυγα sunt, ἱππήλατος, χαλκήλατος, ἀργυρήλατος, χρυσήλατος, θεήλατος, immiscuisset, si ea quoq; dici sciuisset. Vnum quidem certè nouo more & substantiuum & adiectiuum facit. Nam ἄνοδος quum exponitur Ascensus, substātiuum sit oportet: at quum dicitur esse huius & difficilis accessu, adiectiuum: nihilo minus quàm δύσο-

δος & illis cõtrarium εὐδος. Verùm, quòd substantiuum esse putaret, non dixit simpliciter Inuius, sed Locus inuius.

SEXTO, etiamsi in hac fœmininorum enumeratione tot modis errasset, at nõ idem in altera, quæ est communium, siue incerti aut dubij generis, idem illi euenisset, sicut euenisse videmus. Nam κόφρος, sicut & κάμινος, & κάπετος, & μήνιθος, & ὄρος, & φάμαθος, & ἄβυσσος, fœmininо passim genere vsurpantur: at verò βάδος, στρατὸς, χιλὸς, κλῆρος, quinetiam λιμὸς, masculino passim genere occurrunt.

Dicerem debuisse illum de ijs etiam monere quæ Attica vel alia dialectus non eodem genere quo Communis vsurpat. Sed quis ea quæ maiora sunt ab eo requirat qui nec multo ijs minora, & quæ verè sunt minima, præstare potuit?

INTERIM tamen dissimulare nolo, cum alios quosdam scriptorum grammaticorum Antesignani locos, tum verò hunc interpolatum fuisse in ea editione quæ nuper è Germania prodijt: ideóque aliter eum legi quàm in omnibus superioribus (quæ non paucæ sunt) vnde eum depromptum attuli. Neque verò is sum qui magnam Friderico Sylburgio habẽdam esse gratiam negem (tam bene Græcæ linguæ cognitione instructo vt nullo magis discipulo possim gloriari, nec alius alio vllo possit fortasse) ab ijs præsertim qui non alij præceptori quàm Antesignano operam dare volent. huius enim & alios plerosque locos sanauit. Sed siue festinauit, siue vnus animaduertere omnia non potuit, ipsa eum velut obruente multitudine, plures certè ignorãtiæ morbo laboran-

tes reliquit. Ac profectò si omnes accuratè examinarentur, & medicina omnibus qui ea opus habent adhiberetur, eadem postea de hac Antesignani grã matice exoriretur controuersia, quæ agitatur apud iurisconsultos de naui quæ tota per partes est refecta, manente eadem carina, an eadem esse nauis dicenda sit. Sed hoc esset profectò Augiæ stabulum expurgandum suscipere. Neque tamen magnus ex hac expurgatione fructus perciperetur, quũ multa Antesignanus planè supernacanea congesserit, & quorum cognitio partim sit inutilis, partim eiusmodi quæ usu potius à studiosis Græcæ linguæ sit acquirenda.

Exempli gratia, ad enumerationem illam redeũtes, fingamus, eum nobis verè, exactè ac plenè recensuisse substantiua in ος quæ fœminini sunt generis: quem tamen magnum ex hac enumeratione fructũ lector perciperet? an illum suam memoriam in ea occupare consultum esset? Nequaquam profectò.

Quomodo igitur hîc se gerere grammaticus debuisset, qui & exercitatus in Græca lingua esset, & iudicio valeret? Monendus ab eo lector fuisset, multa esse substantiua in ος fœminini generis: vt ὁδὸς, & omnia deriuata: quinetiam quæ sunt synonyma illi nomini ὁδός: vt πεῖρος, ἀτραπὸς siue ἀτραπιτὸς, & οἶμος. (licet ab Hesiodo cum μακρὸς iuncta hæc vox inueniatur) Sic ἄμμος fœmininũ esse, paritérq; eius synonyma: (quæ etiam voce illi affima sunt, vtpote ab eo deducta) sic τάφρος, & synonyma, quorum est κάπετος: sic κόπρος, & synonyma, quorum est μίνθος. Deinde ad magis generalia veniendo, monendus lector fuisset, regionum item, insularum, vrbium nomi-

na in os, magna ex parte esse fœminina. Sic etiã pleraque arborum nomina. Sed & alia quædam generalia, aut ferè generalia, obseruare iubendus erat lector, non in longa enumeratione, per ordinem alphabeticũ (quo scilicet valde hîc erat opus) digesta, memoriam suam fatigare.

VERVM *libétne te, ex hac errorum sylua egressum, in aliam ducam, adeò magnam vt illã præ hac syluulam sis appellaturus? Si hoc libet, eamus illam partem versus in qua de ratione inuestigandi thematis agitur. Magnus enim ibi est catalogus thematum, quæ quum ille vsitata esse dicat, sed parum, contra tamen, pauciſſimis exceptis, omnino sunt inusitata: adeò vt tu quum tuo præceptori fidem adhibens ea vsurpabis, ridendum te iis qui vel minimùm in Græca lingua sunt exercitati, sis propinaturus. Nam ibi cum alia nobis proponit, tum verò ista,* Ἀγάγω, Αἰσθέομαι, Ἁμαρτέω, Ἀμφιέω, Ἀναινέω, (*obserua quam multa è barytonis circumflexa faciat, sicut & in aliqua eorum quæ sequũtur parte*) Βάφω, Βλάβω, Βλέω, Γάμω, Δαρθέω, Διδάχω, Δραμέω, Ἐθελέω, Ἐλεύθω, *seu* Ἐλθω, Ἔλομαι, Ἐχθέομαι, Θεύω, Θρέφω, Θρέχω (*vtrumque per* θ) Καύω, Κλήγω, Καλύβω, Κρύβω, Λάμβω, Λάγχω, Λήβω, Μαχέομαι, Μόργω, Πεπιθέω. *Cuius dialecti sunt hæc verba? Antesignanica. Quid? illa dialectus ex barytonis circumflexa facit? Facit certè, vt vides. Literam υ interijcit? Ita: vt vides in* θεύω & καύω, *pro* θέω & καίω. *sed videbis in pluribus, si vlterius pergas. nam itidem* πλεύω & πνεύω *inuenies, pro* πλέω & πνέω. *Habere verò eam & alia multa sibi peculiaria, tum*

ex his cognoſces, tum ex reliquis quæ tibi apud eum videnda relinquo.

Quid eſt lectorem decipere, ſi hoc nõ eſt? quæ nuſquam apud Græcos ſcriptores extent, ea in vſu, ſed minus frequenti, eſſe dicere? Nam contingit certè plerunque vt parum vſitata, pro elegantioribus, tan quam raritate ea commendante, habeantur. At nõ decepit lectorem ille, niſi prius deceptus. hæc enim aliquo in vſu eſſe putauit. Fateor: verùm grammaticos præſertim, non ea quæ putant, ſed ea quæ ſciũt, ſcribere oportet. Alioqui hoc modo ſcribere, nihilo magis fuerit grãmaticas inſtitutiones quàm ſomnia ſua ſcribere. Ac eum quidem qui tam rudis ſit Græcæ linguæ, nõ dicere, Sciebam hæc aliquo in vſu eſſe, ſed Putabam, mirum non eſt: ſed eum velle etiam ſuæ ignorantiæ doctorẽ alys eſſe, hoc verò mirum eſt.

Quòd ſi ab illis ſyluis ad dumos & arbuſta veniamus, ſub his quoque multa huiuſmodi (præter illa quæ ſparſim hoc in libello annotaui) latere comperiemus. Ἄδεος (*quodam inquit loco*) & Doricè ἄδεος: à quo fœmininũ ἀδέα. *Alibi,* ἐτήτυμος poeticũ eſt, *inquit*, pro ἤτυμος. *Alibi*, Duas (*inquit*) hîc omiſit terminationes Clenardus: υτος & υθος: vt ὁ ἀκμὼς, ύτος, indefeſſus. *Alibi*, Διασαφέω (*inquit*) eſt à nomine ὁ καὶ ἡ διασαφὴς. *Perinde videlicet acſi quis verbũ* διαφανερόω *inueniẽs*, & διαρθρόω, & διαζεβαιόω, *etiã* διαφάνερος, & διάρθρος, & διαζέβαιος *dici, atq; ab his nominibus verba illa originem habere contenderet. Alibi* κολαϛὸς *dici putat, ex quo fieri* ἀκόλαϛος. *Hoc certè eſt Græcæ linguæ fines propagare: quod facit & quum ἀτεκ-*

ποτᾶται) vna voce admittit. Eodem modo Græcæ linguæ fines extendit quum non ſolùm μάντις, μάντιες, ſed etiam μάντης μάντου declinari ait. Poeticæ autem licentiæ terminos dilatat, quum κεκορεσσάμβυος ſcribit, vt ſi quis τετυφάμβυος ſcribat. nec animaduertit particulam poeticam κε pro ἄν, ſeiungendam eſſe, quum aliò feratur. Alibi, hoc in verſu Heſiodi, Ωρη γάρ τ' ὀλίγη πέλεται νεικέων τ' ἀγορέων τε, Ωρη quod Curam ſignificat, putat declarare Tempus. In limine Ἔργων eiuſdem poetæ turpiter impingit. Nam hos verſus,

Δεῦτε δί' ἐννέπετε, σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι,
Οὕντε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε,

ita interpretatur, Adeſte, narrate per veſtrum patrem cantantes, Quare mortales viri ſint pariter obſcuríque nobiléſque.

Ex his autem aliiſque huiuſmodi erroribus quidam in illa duntaxat quæ nuper è Germania prodiit editione (cuius antea mentionem feci) emendati fuerunt, ſed plures relicti inemendati. Vnicus eſt quem iam ante illam correctum fuiſſe compererim, ἐτήτυμος pro ἤτυμος.

Neque verò ad obtrectandum Anteſignano, ſed ad lectores, quorum miſereor, admonendos, hæc detegenda exiſtimaui. Alioqui enim ego, ſi quiſquã alius, famam illius ſartam tectam cuperem. Vale.

LITERAE GRAECAE *sunt XXIIII. &c.*

Pag. 3. priori parte.

QVI DE grammatice tractant, iure optimo à literis (quũ hæ sint illius velut primum fundamentum, & ars ista nomẽ suum ab his acceperit, quippe quæ à Græcis Grammata vocentur) initium sumere consueuerunt. vnicum enim noui qui aliunde sumere maluerit. Sed quædã sunt ad eas pertinẽtia, quæ quũ neque hic neque alius quisquam tractauerit, & pauciſſimi sint fortaſſe qui, si velint, possint: id à me lubenti animo & bona fide prẹstabitur. Qua in re magis me studiis amatorum Græcæ linguæ consulturum existimo, quàm si, cum plerisque, litem de illarum pronuntiatione moueam, vel potius, iam pridem motam renouem. Hæc enim eiusmodi est vt nec componi queat (adeo vt de alia nul-

la huius Grāmatices parte iustius dicturus sit aliquis, *Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est)* & componi si posset, magis, quum aliquando tandem ex tali nos labyrintho extricassemus, curiositati nostræ satisfieret, quàm via ad maiorē Græcæ linguæ cognitionem patefieret. Equidem multa multorum de hac pronuntiatione legi scripta, in quibus quum pleraque essent quæ poteram ἐλέγχειν, in mētem illud veniebat, quod elegantissimè dixit Galenus, ἐλέγχειν σπουδῆ τὰ μὴ σπουδῆς ἀξια, τῆς ἀτόπων ἐστί.

Disquisitio de Græcarum literarum pronunciatione parum promouet Græcæ linguæ cognitionem.

Cur ita crediderim (nisi quid te detinet) audi. Quid de vllius literæ Græcæ pronūtiatione scriptum est quod validioribus nitatur (niti quidem certè videatur) argumentis quàm quæ de secūda litera βῆτα scripserunt ij qui pronuntiādam vt B Latinorum contenderunt? Ac ecce, sua & illis sunt argumenta qui alteram pronuntiationem retinere volunt. Non tam multa, nec tanti ponderis, inquies. Id fateor: sed quæ saltē vt lis adhuc sub iudice maneat, efficere possunt. Interim tamē Antesignanum Clenardo scribenti *Vita*, non *Beta*, assensum esse miror: quum etiam a-

De litera B.

pud Martialem Beta legamus, lib. quinto,

Quòd alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua quum iocarer in charta:
Si fortè bilem mouit hic tibi versus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

Sic certè pro Græco ἀναλφάβητος scribẽdum Latinè fuerit (vt & scriptum fuit) Analphabetus, nõ Analphavitus. Eadem porro opera de aliis literis commonefaciam, quæ litera e, non i, scribendæ erant, nam pro ζῆτα, ἦτα, θῆτα, magis consentaneum rationi erat, vt Zeta, Eta, Theta, quàm Zita, Ita, Thita scriberetur: aut saltem de hac scriptura (alteram autori suo relinquendo) lector ab Antesignano admoneretur.

VERVM ne illa diutius expectẽtur ad literas pertinẽtia, de quibus me tractare malle dixi, scire ante omnia lectorem velim, cauendum sibi esse ne fallatur ea quã nõnullæ in plerisq; veteribus libris habẽt figura. Meminerit igitur, quum in Græcos libros iam olim script os incidet, in iis plerũque, aut, si mauis, in eorũ plerisque, pro figura literæ Beta quãdam esse literã quę hãc Latinã u (nisi quòd magis oblõgo

De Literarũ nonnullarum figura in plerisq; veteribus libris.

ventre, & aliquantum caudata est) præ se ferat. Ac ne vsque ad scriptos olim libros te remittam, in quibusdam ab Aldo excusis libris eam habes: & nominatim in Theophrasto, in fine paginæ 72, (parte priori) in voce βελτίους.

Vnde Græci cùm sit vocalium per u Latinum.

An autem credibile sit quod olim mihi in mentem venit suspicari, nimirum talem illius secundæ literæ figuram, tam prope ad Latinam u accedentem, aliquid de simili etiam pronuntiatione persuasisse, aliorum esto iudicium: alius quidem certè à me obseruatus est error quē quin eadem figura inuexerit, vix dubitare audeo. Quum enim aliquot locis υ pro β positum obseruarim, hūc errorem inde ortum esse, quòd illam literę huius figuram aliquis librarius pro υ habuerit, propemodum mihi persuadeo. Sic sanè αὖρα pro ἄβρα extat apud Pollucem, in Aldina etiā editione, libri quarti capite nono, in quo de comicis personis tractatur, ἡ δὲ αὖρα περίκουρος, θεραπαινίδιόν ἐστι περιπεκαρμένον, χιτῶνι μόνῳ ὑπεζωσμένῳ λευκῷ χρώμενον. Quis αὖραν aliud planè significare, at verò ἄβραν esse ancillā, famulā, θεράπαιναν, siue θεραπαινίδιον (vt à Polluce sub-

ἄβρα sīt an cillam, famu lam.

iungitur) ignorat? Neque verò dissimulaui in meo Thesauro, ἄβρα ibi scribẽdum mihi videri: sed quid huius erroris occasionem præbuisse putarem, non adieci. In eodem opere admonui, meum vetustissimum exemplar Homeri habere λαβρότατον (sicut & excudi) non λαυρότατον, Iliad. π, -ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς. Sed & Odyss. ο, legimus λάβρον. quam per β scripturam quum Eustathius magis à se probari non neget, vult nos, si alteri quoque locum demus, iis assentiri qui ab αὖρα deriuant. Verùm eadẽ ratione λαυροσομεῖν pro λαβροσομεῖν scribendum esset. At ego vt cõtrà hanc scripturam per β vtrobique retinendam putem, & alteram illam per υ ex errore natã arbitrer, adducor cum aliis locis, tum quodã Plutarchi, in quo ῥαυδοφόρους itidem pro ῥαβδοφόρους legimus. Is est in Pompeio, pag. 207, Ald. editionis, priori parte: & 316, Florentinæ, parte posteriori, ἢ τοὺς ὑπηρέτας ἅμα ἢ ῥαυδοφόρους. In eiusdem scriptoris opusculo de Isde & Osiride, habent multæ editiones, αὐδηρίτης non ἀβδηρίτης, de Hecatæo. Memini autẽm & in aliis scriptorum locis υ pro β obseruasse, non mi-

nus manifesto errore.

Moneo item, duplex Tau in bona veterum librorum parte ita scribi vt non τΤ sed τγ esse multi credere possint.

Quid dico, multi credere possint, aut credituri sint? imò verò iam crediderint. Ex quibus fuit (quod summopere miror) præstãtissimus ille vir Theodorus Gaza: eúmque hoc mouit vt quiddã quod inter grãmatica paradoxa primũ tenere locũ posset, crediderit, videlicet ὀρύτγω potius quàm ὀρύτΤω scribendum esse: idémque eius de aliis huiusmodi verbis iudicium fuerit. Εὐλογώτερον μήτοι (inquit in fine libri tertij suæ grammatices) ἐπὶ τοῦ Ὀρύττω, ἢ τῷ ὁμοίων, τὸ γράφειν Ὀρύτγω, καθάπερ καὶ τοῖς παλαιοτέροις τῷ ἀντιγράφων ὁρῶμεν. Quasi verò τὰ παλαιότερα τῷ ἀντιγράφων scripturã hanc in verbo tãtùm illo & similibus, ac non in quibuslibet aliis verbis, quinetiam in quibusuis nominibus, haberent: adeo vt nihilo magis Ὀρύτγω in illis legi dici posset, & πέττω, & φράττω, & πλήττω, & πλάττω, & αἰμάττω, & ταράττω, loco horum, ὈρύτΤω, πέττω, φράΤΤω, πλήΤΤω, πλάΤΤω, αἰμάΤΤω, ταράΤΤω: quàm γλῶττα, & θάλαττα, & μέ-

λιτγα locum ibi obtinere n ostrorum (id est,in nostris libris vsitatorum) γλῶττα, θάλαττα,μέλιττα.

TERTIVM autem quod lectorem ex me intelligere, antequam à literis discedat,volo,ad illam ipsam literam γ pertinet. Quum enim in plerisque olim scriptis libris,& iis præsertim qui literis maiusculis aut saltem maiusculas nostras imitantibus scripti sunt , obseruauerim ΑΝΓΕΛΟΣ, non ΑΓΓΕΛΟΣ, itidémque ΑΝΓΕΙΟΝ, non ΑΓΓΕΙΟΝ, similémque in similibus scripturam , adducor vt credam ex errore natam esse alteram illam quæ ita inualuit scripturam vt passim in vsu sit:non parum certè ponderis addente eiusdem Theodori Gazæ autoritate : cuius hæc sunt verba, Τὸ ν, οὔτε πρὸ τοῦ γ, ἢ χ,ἢ κ, ἢ ξ, σώζεται σωτιθέμενον,ἀλλὰ τρέπεται εἰς τὸ γ.Sed huic Theodoro alius respondẽs Theodorus(qui certè dignus est quem omnes κατ' ἐξοχὴν hoc solo nomine appellent)Quæso verò, inquit,qua ratione dici potest,ν conuerti in γ,vt deinde ipsum γ sicut ν pronuntietur? Nam certè potius ipsum ν seruari, & γ,si occurrisset, in ν conuerti oportuerat.

Addo autem, ad eius quod dicit confirmationem, aliud à me obseruatum, quod huc pertinet: nimirum, quum olim nonnulli librarij literas tachygraphiæ ergo colligare vellent, etiam quæ colligationē non admitterēt, ν quoque cum γ ita colligasse vt duo gammata esse viderentur. Sanè si ν cum γ ita iungere velis vt cohęreant, & ventri ipsius ν eandem propemodum latitudinem quam ventri ipsius γ dare, vix lector tale Ny & tale Gamma à duplici Gammate discernere poterit.

Sed quid verbis opus est in re quæ locupletissimis testibus probari potest? Locupletissimos voco testes libros veteres, qui, vt dixi, ΑΝΤΕΑΟΣ, & ΑΝΤΕΙΟΝ, nō ΑΓΤΕΑΟΣ & ΑΓΤΕΙΟΝ, similémque in similibus scripturam (vti dixi) exhibent. Ac ne testes citare dicar qui nusquā cōpareant, dico, exemplar ex quo Glossaria illa vetera excudi quæ meo Græcæ linguæ Thesauro adiungi solent, & eo nunc sunt in loco vbi multis inspiciendi copia sit, talem scripturam passim habere.

QVARTVM, quod te celare nolo, est, inueniri literam ω in nonnullis veteribus libris ita scriptam vt ο duplex esse vi-

deatur: neque tamen dubitandum esse quin illam ipsam literam repræsentare lectoris oculis voluerint. suspicandum quidem fortassis esse, hoc scripturæ genus ex quorundam opinione manasse, existimãtium, id quod ω mega vocatur, id est magnum, aliud nihil esse quàm duo ο parua in vnum conflata: vt Θερμοόδων in Θερμωόδων mutatũ esse videmus. Fit alioqui ab Eustathio & cuiusdam ω μεγάλου mentio, duorum υυ formam repræsentantis: quam ob figuram cuidam poculo nomẽ hoc ω μέγα, datum fuerit.

QVINTVM est, literam ι in vetustis exẽplaribus non subscriptã literis α, η, ω, (quę cũ hac subscriptione ᾳ, ῃ, ῳ, diphthõgi impropriæ vocantur) sed lateri adiunctã inueniri. Vnde videri potest accidisse vt non solùm κνέφα apud Xenophontem, sed etiam κνέφαϊ legatur.

SEXTVM, non mihi placere vt ε ψιλὸν dicamus esse E tenue: sed potius E simplex. vt sit appellatum ψιλὸν, ad differentiam illius quod adiunctum habebat ι. Constat enim vetustissimos Græcos ει nõ ε, in vsu habuisse. Multi tamẽ ψιλὸν, id est tenue, appellatum scribunt, quòd celeri-

ter & raptim pronuntietur : vt contrà η, (quod est E longum) tardius.

SEPTIMVM, etiam consonantes liquidas (quæ & immutabiles) interdum quoddam duplicium priuilegium obtinere, producendi videlicet vltimam præcedentis syllabam. Sic Iliad. ε, Πολλὰ λισσομένη, χρυσάμπυκας ἤπτεεν ἵππους. & Il. ρ, Πλησίος ἐγχείῃ τε μεγάλῳ καὶ χειρὶ παχείῃ. Et statim pòst, Πατρόκλοιο πόδα μεγαλήτορος ἧκε χαμᾶζε. Ac vicissim tamen syllabam in qua mutæ coniuncta liquida sit, non minus corripi quàm produci : quod passim videre est in τέχνη. Sic certè Theognis, Καὶ δάκνομαι ψυχὴν, καὶ δίχα θυμὸν ἔχω. Quod autē magis mireris, etiā præcedente liquida id sibi permisit Callimachus, in φέρβε, in fine hymni in Cererem, Φέρβε βόας, φέρβε μᾶλα, φέρβε σάχυν.

DE DIALECTIS quoque præfandū aliquid, & quæ in illis est circa vocalium præsertim vsum varietas, nō λεπτομερῶς sed ὡς ἐν τύπῳ proponenda est.

Primùm igitur, præcipuas esse tres sciendum est, Atticam, Ionicam, Doricā: atque inter hasce, maximè (vt ita loquar)

præcipuam esse Atticam, & cum hac potius quàm cum Dorica, aliquid communionis in quibusdam habere Ionicam. Vsitatissimam post has esse Æolicam, atque huic in quibusdam cum Dorica conuenire. Communis verò lingua ex singulis aliqua sumit, sed præcipuè ex Attica: adeo vt illa in multis nullo ab hac discrimine separetur.

Quum autem dialectorum differentia circa vocalium vsum consistat potissimum (aliis alia vocali in eodem vocabulo vtentibus) potissimam tamen constituunt, meo quidem iudicio, α & ε. Nec mirum est certè has vocales, quum inter se maximè differant, maximam omnium quæ inter dialectos sint differentiam efficere. Dores α, Iones ε (sicut & η) amarũt. Dores
Hinc fit vt apud Dores Ἄρταμις pro Ἄρτεμις, & πάζω pro πέζω, & τράχω pro τρέχω, & φρασὶ pro φρεσὶ, quinetiã γα pro γε, & κα pro κε, legamus. Æoles autem, Aeoles.
quibus societatem quandam cum Doribus intercedere dixi, etiam μουσάων & πασάων & ὡράων, similiáque dicũt: Ioni- Ionesbus μουσέων & πασέων & ὡρέων eodémque cætera modo dicẽtibus: tanto discri-

NB α

NB ε in Genitivo pluralis semper patitur σον, ἡμῖν, ἡμεῖς & ὑμεῖς. Vide pag. 13.

mine, vt illud α nunquam, hoc ε semper σωίζησιν (apud vetustiss. præsertim poëtas) patiatur. Qua de re mirum est tacere Antesignanum, sicut cæteros (quos quidem legerim) quum de ea non admonitus lector, ex multis poetarũ locis, quod ad dimensionem versus attinet, se expediturus non sit: non admonitus, inquam, perinde metiendum esse versum in μουσέων & πασέων, acsi absque ε scriptum μουσῶν & πασῶν esset. Sic in vno eodémque epigrammate Anthologiæ, pag. 93, meæ editionis, bis μουσέων maluit autor quàm μουσῶν dicere:

Ἀλλ' ὅλον ἐκ μουσέων κιρνάμμον μέλιτι.

& tribus interiectis versibus,

Εἵηκει μουσέων λάτρις ἐφαπτομμύη.

quibus simile est apud Homerum πολλέων, Iliad. β, Πολλέων ἐκ πολίων ἐίχόσπαλοι ἄνδρες ἕασιν. Huius certè exemplum sequentes vtuntur his potius quàm illis genitiuis poetę: quum etiam ἀπασέων idẽ dicat. Nec tamen in his aliisque huiusmodi genitiuis duntaxat, sed in participiis quoque id fieri videmus. Sic eodem eiusdem Anthologiæ libro, pag. 74, scribit Antipater,

Ἄρτι λιποψυχέων ἔῤῥεεν εἰς ἀΐδ'λω, haud dactylum esse volens πνυχὶ (iuxta quorundam dimensionem, syllabam ψυ interim in voce ψυχὴ & deriuatis suo productionis velut iure fraudãtium) sed spondeum, non aliter quàm si scriptum esset λιποψυχῶν.

Talem huius vocalis σωίζησιν siue σωεκφώνησιν habemus & in χρυσέῳ, in principio Iliadis: in quo pariter imitati sunt illum posteri. Nam sic Antiphilus eodem Anthol. libro, pag. 75,

Ἦν ὄντως μερόπων χρύσεον ἦθος, εἰγ' ἀπὸ χέρσου &c.

Et libro tertio, pag. 199,

Αἴλιος Αὐσονίης στρατιῆς πρόμος, ὃ χρυσέοισι Στέμμασι &c.

At multi qui σωίζησιν his subesse locis non animaduertunt, eandem illam iniuriam literæ υ in hac etiam voce vbique faciunt: quum vt illic χρύσεον pro χρυσοῦν, ita hîc χρυσέοισι pro χρυσοῖσι, in dimensione versus, habere oporteat.

Idem & de σφέας passim apud Homerum dicendum est: vt in hoc versu, qui sæpe occurrit, (σφίσι.

Καὶ σφέας φωνήσας, ἔπτα πτερόεντα προ-

nam vox σφέας pro monosyllaba in metiendo versu habetur.

Sciendum est autem, sicut hanc istius pronominis scripturam, ita & illius adiectiui (necnon similium) quinetiam illorũ genitiuorum, μουσέων, πασέων, ὡρέων, aliorúmque huiusmodi, non in carmine tantùm sed in soluta quoque oratione (Ionũ quidem certè scriptorum) locum habere: quinetiam Περσέων & Σκυθέων & πολιητέων, atque adeo αὐτέων, τουτέων, aliáque dicere Herodotum: apud quẽ & participium ὁρέων, atque alia, eodem modo quo λιποψυχέων in versu paulo antè citato.

Vt autem vicissim de illis Dorum genitiuis, μουσάων, πασάων, ὡράων, verba faciam: eos certè non, vt Ionicos, voluptatis causa (nimirum propter soni certam quandam mollitiem, quam nec imaginari aures nostræ possunt) sed cogente necessitate mutuabatur à Doribus Homerus. Non enim vt πασέων & ἁπασέων ibi quoq; dicebat vbi πασῶν vel ἁπασῶν locum habuisset, ita etiam πασάων: sed tres illi syllabas efficit πασάων. vt Odyss. ζ,

Πασάων δ' ὑπερ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα.

nam hîc πασέων dicendo ſtare verſus nō potuiſſet. Sic quum dicit idem poeta,

Ἦ δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα.

Sic etiam Heſiodus initio τῆμὲ ἡμερῶν,

Πληϊάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ, δυσομενάων,

dicere non potuiſſet ἐπιτελλομένων, nec δυσομένων. Tantum autem ſibi Homeri poſteri in hoc genitiuorum vſu permiſerunt, vt Callimachus νησάων quoque dicere auſus ſit. Neque tamen dubium eſt quin illis Dorum genitiuis, etiam non cogente verſu, vſi fuerint. Quemadmodum enim vbi ornatui & mollitiei ſtudebatur, aptior erat dialectus Ionica: ita viciſſim conuenientior erat Dorica vbi grauitas & maieſtas quædam requiri videbatur: quòd ſonus literæ α quendam ὄγκον habeat. Exempli gratia, ſi hunc Callimachi verſum, qui Dorica dialecto ſcriptus eſt,

Τὸν δὲ χολωσαμένα περ ὅμως προσέφασεν Ἀθάνα,

Ionicum ita facias,

Τὸν δὲ χολωσαμένη περ ὅμως προσέφησεν Ἀθήνη.

exilem quendam præ illo sonum habere dices. Quinetiam vbi vnica dũtaxat vox Doricæ vel Æolicæ dialecti versui inseritur, ad grauitatẽ non parum facit: præsertim quum aliquis est genitiuus similis superioribus illis, παιδάων & πολλάων. Sed enim hæc grauitas adiunctum quendam πλατειασμὸν habet, ob quem irrisi fuerũt Dores, vt videre est apud Theocritum: nec minorem certè hîc Æoles (qui & alia multa cum Doribus communia habent) sui irridendi occasionem præbuisse videri possunt. Tum autem præsertim odiosam fuisse illam literæ α interpositionem verisimile est, & ibi potissimum dictos fuisse πλατειάζειν, quum vocabulis longis interiiciebatur: vt videre est in illis Hesiodeis ἐπιτελλομβρυάων & δυσομένάων. Sed illo quoque maior est πλατειασμὸς vbi ponitur bis α, vt in ἀλλάων: maximus vbi ter, vt in μαρναμβυάων.

πλατειασμὸς Dorũm irrisus Quintil. lib. 1. Cap. 9.

NON minus autem, imò etiam maius constituit discrimen inter has dialectos vsus vocalium α & η: quum Doricæ placeat α quamplurimis in locis vbi Ionica amat η: ita vt dicentibus Doribus, Μοῦσα, Θεὰ, Φιλία, Ἱστορία, Ἀμέρα, Σελάνα, Ἀθάνα, Φάμα,

Φάμα, Πλαγὰ, Μαχανὰ, Αἰδονὰ, Μᾶλον, Μάτηρ: Ionica dialectus vbique η illi α præferens dicat Μοῦσα, Θεὰ, Φιλία, Ἱστορία, Ἡμέρα, Σελήνα, Ἀθήνα, Φήμα, Πλαγὰ, Μηχανὰ, Ἡδονὰ, Μῆλον, Μήτηρ: Atticis interim in quibusdã vocabulis Dores, in aliis Iones sequẽtibus. Latini autem plerunque Dores imitari quàm Iones maluerunt: quippe Malum ex μᾶλον, non Melum ex μῆλον fecerint: sic Mater, non Meter, dixerint. Sic denique Fama ex φάμα, nõ Feme ex φήμη, & Plaga ex πλαγὰ, non Plege ex πλαγὴ, suo in sermone vsurparint. Nisi potius, cum quibusdam, hæc non ex Doricis illis esse deriuata, sed Doricæ dialecti reliquiæ esse existimanda sunt, qua olim Græcia magna vtebatur.

SED obseruatione & consideratione in primis dignũ hoc est, vnam eandémque literam displicere alicui dialecto vbi aliis placet, & vicissim placere vbi illa aliis displiceat. Ionibus certè in deliciis propemodum esse literam ἰῶτα coniiciat aliquis ex eo quòd non solùm datiui pluralibus primæ, secundæ, & tertiæ declinationis eam adiiciunt, sed etiam multis vocabulis interiiciunt, dicentes,

Ionibus in deliciis est ἰῶτα.

Biblioteka Uniwersytecka Toruń
BIBLIOTEKA JAGIELLOŃSKA

ξεῖνος pro ξένος, (vnde & ξεινίζειν apud Herodotum, & compositum Τιμόξεινος pro Τιμόξενος) ξεινὸς pro ξενὸς, & κεινὸς pro κενός: itidémque εἰρωτᾶ pro ἐρωτᾶ, & εἵως pro ἕως, aliáque eodem modo plurima: (quam consuetudinem poetæ latius etiam extenderunt) sed ecce tamen, vt in illis vocibus literam ιωτα tantopere amant, ita in plerisque aliis odisse videtur: quippe qui ex iis hanc detrahant. Neque enim tantùm ἐπιτήδεος, quàm ἐπιτήδειος, & χρύσεος quàm χρύσειος, & μέζον quàm μεῖζον (vt pag. 292 Herodoti, κέρδος μέζον) dicere malunt: sed etiam θηλέη quàm θηλείη (vt θηλέης Herodot. pag. 256) denique ἀπόδεξις pro ἀπόδειξις, aliáque huiusmodi, quæ nouum lectorem in errorem etiam impellere possunt: vt circa finem huius tractatus declarabo.

Sic quum iidem Iones amare se literã ε ostendant in eo quòd ἀδελφεὸς pro ἀδελφὸς, & ἐὼν, παρεὼν, pro ὢν, παρὼν, necnon μνέα pro μνᾶ, & ὀρέω pro ὁρῶ, & χρεώμενος pro χρώμενος, itidémque Περσέων, νυμφέων, δεσποτέων, pro Περσῶν, νυμφῶν, δεσποτῶν, quinetiam ἀληθέως pro ἀληθῶς dicunt: in eo denique quòd εω pro ου, in δε-

σποτέω, & εα pro ω, in δεσπότεα, & εος pro ους in πλήθεος efferunt: hanc tamẽ ipſam literam, quam ſibi adeo eſſe charam præ ſe ferunt, ex ὀρτὴ, ex ὥρων, aliiſque huiuſmodi propè infinitis, necnõ ex κεῖνος, ſubtrahunt. Nec tantùm in ε initiale (vt vocant) hoc ſibi iuris tribuunt, ſed etiam in id quod aliam ſedem habet: veluti quum pro ἱερὸς dicunt ἱρός.

Quid quòd iidem Iones hoc ipſum σοι χεῖον Æolico α paſſim præferentes, alicubi contrà illo expulſo hoc in eius ſedem migrare iubẽt? Nam quum ὡρέων & νυμφέων & πασέων pro Æolicis μουσάων & ὡραίων & νυμφάων & πασάων dicant, quinetiam γέμμα ex γάμμα faciant, τέσαρα in τέσερα, itidémque τεσαράκοντα in τεσερράκοντα vertant, quum φοιτέουσι apud ipſum quoque Herodotum, non φοιτάουσι, legamus, pag. 72, quum illis pro ἄρσην placeat ἔρσην, quum non κέραα & γέραα ſed κέρεα & γέρεα dicant, nec τέραα & τέραος, ſed τέρεα & τέρεος: tamen α quod hîc reiiciunt, alicubi ita amplectuntur vt ſibi peculiare habeant: veluti quum μέγαθος pro μέγεθος, & τάμνω pro τέμνω, & τράπομαι pro τρέπομαι, & ἐπαράπω pro ἐπιτρέ-

πω (vt apud Herodotũ pag. 255) itidémque πάζω pro πέζω dicũt. ex Herodoto enim affertur.

Viciſſim autem Æoles, qui illis in α genitiuis pro Ionicis in ε, tantopere gaudẽt, alicubi propriũ ſibi habere ε volunt: veluti in θέρσος pro θάρσος, & κρέτος pro κράτος. Quinetiam α in fine quarundam vocum mutant in εν. veluti quum τυπτόμεθα pro τυπτόμεθα, & λεγόμεθα pro λεγόμεθα dicunt: necnon ἄρεν pro ἄρα. Hoc autem Ionum quoque eſt: quum Ælius Dionyſius ἰακὰ eſſe tradat εἶτεν & ἔπειτεν, legíque apud Herodotum pro εἶτα & ἔπειτα. Iidem Æoles quũ litera ω tantopere delectentur, vt μῶσα malint quàm μοῦσα, itidémque ἰδῶσα & λείπωσα quàm ἰδοῦσα & λείπουσα, dicere: tamen reiiciẽtes ex ἔρως, γέλως, itẽ ἀηδὼν & Σαρπηδὼν, necnon ὥρα, & ὠτειλή, in eorum locum ſubſtituere dicuntur ἔρος, γέλος, & ἀηδὸν Σαρπηδὸν, itidémque ὅρα & ὀτειλή.

Quid Dores? quum paſſim literam α ponant vbi Iones vtuntur litera η, tamen eos ὁρῆς non ὁρᾶς dicentes audimus, eodémque modo πεινῆς & διψῆς: quibus γελῆς, βοῆς, aliáque huius generis addun-

tur. Certè vt ὁρῆς pro ὁρᾷς ab illis dici aie bam, sic etiam ποθορῆ apud Theocritum & ὄρη pro ὄρα in vno eodémque versu extant qui in Ἀδωνιαζούσας extat, -ὄρη γὼ ὡς ποθορῆ τύ. Vice autem versa Iones literam illam tantopere sibi gratã alicubi relinquentes, ad α se conuertunt: veluti quum πόλμα & πίθα quàm πόλμη & πίθη dicere malunt, quinetiam νύμφα, ita quidem vt α sit breue. Nam hæc Ionibus quosdam adscribere autor est Eustathius: eodémque modo participia λελακυῖα & μεμακυῖα & τεθαλυῖα pro λελακυῖα & μεμηκυῖα & τεθηλυῖα illis adscribi scimus, illud α ex η factum, pro breui itidẽ habentibus. Sic λελαμμένος & λαμφθεὶς apud Herodotum pro λελημμένος & ληφθεὶς legimus. Sed & δίχα, τρίχα, τέτραχα, pro διχῇ, τριχῇ, τετραχῇ, sunt qui illis tribuant. ¶ Admiratione autem præter cæteras ea mutatio digna est quæ fit in verbo χρᾶσθαι. quum enim Communis etiam lingua α hîc in η vertat, id sibi concedens quod Doricam in aliis quoque sibi permittere, modò ostẽdi: α quod hîc suæ etiam dialecto erat ingratum (nam α Doricam dialectũ vocare suã posse vide-

De Verbo χράομαι.

tur) Ionica, cui velut peregrinum est, in locū sui η tanquā magis gratū, substituit. Apud Herodotū enim χρᾶται, pag. 150, & ἐχρᾶτο, 167, & χρᾶσθαι, 155, legimus.

Atque adeo (quod vix credibile videatur) interdum in vocabulis planè similibus, id est, quæ eiusdem omnino sunt formæ & naturæ, mutatione contraria dialectus aliqua vtitur. Hoc enim de Æolica perhibere possumus, si verum est eam ἄρεν pro ἄρα (sicut τυπτόμεθεν pro τυπτόμεθα, & λεγόμεθεν pro λεγόμεθα) & tamē πρόσθα, ὄπισθα, ἄτερθα, pro πρόσθεν, ὄπισθεν, ἄτερθεν, dicere.

Quid quòd est quæ in alienam etiam possessionem inuadere audeat? Hoc certè facere dico Ionicam, quum ἐμοῦ vsurpat, quod vno omnes consensu Doribus adscribunt. Et tamen ipse quoque Herodotus isto ἐμεῦ vtitur.

ATTICI verò harum mutationū non tantùm spectatores, sed velut arbitri in quibusdam alteram illarum dialectorum sequi, nonnulla etiam suo & ipsi modo suóque pro arbitrio mutare sibi permittunt. Exemplum certè eius quod priore loco dixi, habemus in illis quæ ex amba-

bus proposui pag.17. Verùm & in Δάματερ. nã hoc quanuis per Doricã mutationẽ ex Δήμητερ factum sit, vsurpare tamẽ minimè dubitant: & quidẽ ibi præsertim vbi vocẽ exclamationi cum admiratione aptam quærunt. Sic autem κάλη pro κήλη, itidémque καλήτης pro κηλήτης, teste Ælio Dionysio, necnon ἀχέτης pro ἠχέτης dicunt. Quinetiam vicissim hanc literam α in nonnullis vocabulis vertunt in ε: (quam mutationem placere Ionibus in quibusdam vocibus, antea ostendi) eorúmque è numero est ὕελος. Eodem certè modo facit ε ex α, quum νεὼς pro ναὸς & λεὼς pro λαὸς, item Ἴλεως pro Ἵλαος, dicit: multo etiam magis in nominibus propriis hac libertate vtens: vt videmus in Μενέλεως, Πρωτεσίλεως, Ἀκουσίλεως, aliísque à nomine λαὸς originem habẽtibus. hæc enim ex Μενέλαος, Πρωτεσίλαος, Ἀκουσίλαος, facta esse constat. Verùm & in nõnullis quæ aliam originem habent, id fieri videmus. nam & Ἀμφιάρεως pro Ἀμφιάραος dicunt.

κάλη δὲ ἀμέλγουσι, οὐσῶν ὀξ. γάστεων, ἢ μαστῶν. ἢ ἐν ἕρκεσι, ἢ ἐν ἀγγείοις. ἢ ἐν τῷ ἀμέλγειν. Alij κάπρους. Lanium vocant vulnus ex κηλίδης q. d. ulcus laborum. Hesy. ἀπὸ τοῦ κηλεῖν.

Atticus sermo Doricum imitatur & in generum enallage. Nam licet Homerus Doricè dixisse cẽseatur καλυτὸς Ἵππο-

δάμεια, & φωνάων ὀλιγώτατος ὀδμή, atque alia huiusmodi, tamen & apud Atticos scriptores talia passim extant: præsertimque apud tragicos. vt apud Sophoclem Trachiniis, pag. 345, meæ editionis, dicitur Deianiræ, ἡ γὰρ οὐ σιγηλὸς εἶ, pro σιγηλή. Sic pag. hanc sequente eadem dicit μεμπτός εἰμι pro μεμπτή εἰμι. Súntque & alia huiusmodi multa apud hunc tragicum: (quorum sunt, θυρᾶος, βίαιος, ῥαδᾶος, item μάταιος, pag. 297. præterea quoddam alius formæ, & quod magis quis miretur, πλικοῦτος, pag. 109) sed non pauciora apud Euripidem. nec enim dicit tantùm Κύπρις οὐ φορητὸς, in Hippolyto coronato, sed etiam φαῦλος οὖσα, ibidem, paulo antè, Νῶϊ δ' ἐννοοῦμαι φαῦλος οὖσα. Eiusdem esse puto & ἀγγελθεῖσά μοι γυναῖος. Nec verò terminationē masculinam duntaxat tribuit fœmininis Atticus sermo, sed etiam articulo masculino quædam animalium nomina fœminina iungit: quippe qui τὸν αἶγα & τὸν ἀηδόνα dicat.

NEC verò δωρίζουσι tantùm vel ἰωνίζουσιν Attici in quibusdam, sed αἰολίζουσιν etiam. Exempli gratia: sicut Æoles

ſubtrahunt è quibuſdam nominibus, dicentes ἕταρος pro ἑταῖρος, eodémque pacto ἄχαος & πάλαος pro ἀχαιὸς & παλαιός: ita ipſi è quibuſdã verbis illam vocalem eximunt. Sic enim pro κλαίειν & καίειν dicunt κλάειν & κάειν. Quinetiam in quibuſdam nominibus id faciunt: ex quibus eſt ἀετός. Sed & aduerbium ἀεὶ ita iidem ex αἰεὶ feciſſe exiſtimãtur. Quòd ſi Iohanni Grammatico fidem adhibere velimus, etiam ἕταρον, Atticorum & Dorum, non minus quàm Æolum, eſſe dicemus.

Atticorum, ſicut Æolũ, eſſe hoc quoque putarunt quidam grammatici, ſyncope in barytonis verbis vti: qualis eſt in ἔγρω pro ἐγείρω (à cuius paſſiuo ἔγρομαι eſt ἔγρετο apud Homerum) itidémque in ἄγρω pro ἀγείρω. à cuius voce paſſiua ἄγρομαι habemus ἀγρόμενος apud eundem poetã. Hoc autem propter ὄφλω potiſſimum ab illis grammaticis dictũ videtur: quod ita ex ὀφείλω factum eſt.

Eoſdem certè ει in η non ſine exemplo mutare conſtat. Sicut enim ἱππῆς & ἱερῆς & βασιλῆς, pro ἱππεῖς & ἱερεῖς & βασιλεῖς dicunt, ita dialectus Æolica necnon

Dorica in infinitiuis hac mutatione vtũtur. Dorica autem πλήων etiam & μήων pro πλείων & μείων atque alia quædam dicit.

Attici denique θ in φ alicubi mutare sibi permittunt, Æolum exemplo. vt enim Æoles φὴρ pro θὴρ, (vnde Latinis Fera) sic φλᾶν pro θλᾶν ipsi dicunt.

CVM Ionica tamen præcipuè lingua communio Atticæ intercedit. Nam (vt incipiam ab exemplo ad illud de quo dictum modò est pertinente) Attici, nõ minus quàm Iones, vocalem ι eximere gaudent ex illis ipsis vocabulis vnde ab his eximuntur. quum vtrique, teste Eustathio, χρύσεος & ἀργύρεος, & χάλκεος, pro χρύσειος, ἀργύρειος, χάλκειος, dicant.

Non. Idem alibi, ἀκούετο, quo vtitur Homerus Iliad. ϑ, actiua significatione, pro ἤκουε, non minus Atticum esse existimat quàm Ionicum. Intellige autem, si in ἠκούετο mutetur. Sic ἐσώζετο pro ἔσωζε ex Sophocle affert, quem alia huiusmodi habere infinita, addit. Idem alio quodam loco, genere fœminino vti in quibusdam nominibus (animalium præsertim) vt in νεβροὶ, in κυώς, in ἵπποι, in ὄϊς, in ἡμίονοι,

in βόες, & in quibuſdam aliis, Atticum æquè ac Ionicum eſſe tradit. Quod tamen non immeritò fortaſſe quis miretur: quũ eandem illam dialectum Atticam maſculinum contrà genus ſibi peculiare in quibuſdam aliis animalium nominibus habere ſcribat: veluti quum τὸν αἶγα & τὸν ἀηδόνα dicit. Ellipſin quoque illam qua infinitiuum pro imperatiuo poni videmus, vt Iliad α, Ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐπέεσσι καθάπτεσθαι μαλακοῖσι, pro καθάπτε, ſchema eſſe quod Atticis, ſicut & Ionibus adſcribendum ſit, idem exiſtimauit.

Quòd ſi aliquod in iis etiam quæ leuiora ſunt, afferendum eſt exemplum, idem μιλῶιν (quod initio Iliadis legimus) pro μιλώιδα, vtriſque in vſu eſſe ſcribit. (κ)

Iam verò & adiectione literæ ι ad plurales datiuos, non Iones modò ſed Atticos etiam vti, & quidẽ non tantùm poëtas, fatẽdum eſt, aut Platonem ex horum eſſe numero negandum: apud quem τοῖ, σι, & αὐτοῖσι, & τούτοισι, necnon ἡδίοισι & ἰδίοισι, & παρωνυμίοισι, ſiue παρωνύμοισι, (adiecta in quibuſdam litera ν ipſi ι) pro τοῖς & αὐτοῖς & τούτοις & ἡδίοις & ἰδίοις, & παρωνυμίοις ſiue παρωνύμοις: iti-

démque in ἡμέραισι, & ἄλλαισι, & παντοδαπῶσι, & alia huiusmodi legimus. Ac plura fortasse legeremus si plerisque in locis mutata à librariis scriptura non esset. Hoc enim suspicandi occasionē præbere possunt quidā loci qui & in iis quorum facta nobis copia est vetustis exemplaribus aliter scripti inueniuntur. Sic certè quarto De leg. libro pro τοῖς ποιμνίοις habēt τοῖς ποιμνίοισι: & statim pòst, αὐτοῖσι pro αὐτοῖς. Sed animaduertēdum est, Platonem τοῖς ποιμνίοισι non τῖσι ποιμνίοισι ibi dicere, itidémque παντοδαπῶσιν ἐπιβολαῖς, lib. 6, De leg. pag. 758, meæ editionis, non παντοδαπῶσιν ἐπιβουλαῖσι, itidémque ἐν ἱεροῖσι πατρῴοις, pag. 821, nō ἱεροῖσι πατρῴοισι, & τοῖσι δήμοις, pag. 691, non τοῖσι δήμοισι, dicit, eandémque & alibi rationem sequitur: quum poetæ vtrique datiuo talē adiectionem tribuant, vbi id versus requirit. De Atticis autem poëtis, tam comicis quàm tragicis, hîc loquor.

COMMVNIS autē lingua inter has dialectos quomodo se gerit? Atticam certè potissimum sequitur, & quidem ita vt in multis vnam ab altera discernere vix

possimus. Exempli gratia, quis ἀετὸς & ἀεὶ linguæ Communis esse non putat? at sunt tamen Atticæ, vnde illa sumpsit, ex ἀϝετὸς & ἀϝεὶ facta, per exemptionem literæ ϝ. (& quidem hoc ἀϝετὸς apud Herodotũ legimus) sed Communis lingua ex aliis omnibus vocabulis subtrahere literam illam sibi non permisit, è quibus Atticam id sibi permisisse scimus.

Sic etiam quum Attici secundas omnium pasiuorum personas (in verbis barytonis) in ει efferant, Communis lingua tantum libertatis sibi non concesit: sed in duobus sola præsentibus, βούλει & οἴει, & in vno futuro, ὀψει, id sibi licere voluit. Nam hæc tantùm ab enarratore Aristophanis annotantur in illum Pluti locum, Πεύσῃ. σαφῶς γὰρ ὁ θεὸς εἶπέ μοι τοδί. Additque, illi ea de causa hæc ita scribere placuisse, quòd actiuas eorũ voces inusitatas esse videret. Sed tamen (eius pace dixerim) vt credo Communem linguam sibi libertatem illam haud passim concesisse, ita eam ad hæc tria respexisse, haud facilè mihi persuaserim. præsertim quum etiam apud Lucam euangelistam futurũ παρέξει ea forma dictũ reperiam: vt suo planum faciam loco.

Eodem sanè modo, quum Attici multa & varia nomina adiectiua tertiæ declinationis sub fœminino etiam genere vsurpẽt, (sicut antea de σιγηλὸς, μεμπτὸς, φορητὸς, φαῦλος, ψυχαγὸς, & aliis, dictũ fuit) Cõmunis lingua hoc sibi tam liberũ esse noluit, sed præter ἔρημος & χρήσιμος, atque alia nonnulla, præsertim composita, tãtùm ἀργὸς ita efferre sibi licere voluit: ideo (vt opinor) quòd sequente genitiuo γῆ, nimiam κακοφωνίαν nobis exhibuisset earundem syllabarum concursus in ἀργὴ γῆ.

Neque verò Communis lingua λαγὸς λαγοῦ dicit declinatione tertia, sed λαγὼς λαγὼ declinatione quarta (quæ Atticorũ est propria) aut certè λαγωός: (quum Herodotus, quem ἰωνίζειν scimus, λαγὸν dicere non dubitarit, in Melpomene, pag. 167, meæ editionis) sic tamen vt sibi necesse non putet εὔγεως eadem declinatione efferre, sed εὔγειος admittat. Quod autem de εὔγεως, idem de νεὼς & λεὼς, déque ex hoc compositis, Μενέλεως, Πρωτεσίλεως, Ἀρκεσίλεως, atq; aliis, dico. In huiusmodi enim Cõmunis lingua declinationi Atticæ minimè se adstrinxit: at ve-

rò apud Herodotum, quem Ionico vti ſermone nouimus, quum declinatio Attica nominis Στησίλεως pag. 235, & nominis Ἀρχεσίλεως in multis pag. 174 & 175 locis extet, (ſicut genit. Ἀμφιάρεω, & datiuus Ἀμφιάρεῳ, necnon accuſatiuum Ἀμφιάρεων pag. 11 & 12 legimus) tamen pag. 173, vtraque habetur.

Atque vt illa declinatione Attica vtitur interdum Communis lingua, ſic etiã illa genitiui primæ declinationis terminatione quæ à pleriſque Dorum propria exiſtimatur: adeo vt nec Θωμᾶ, niſi Doricum ſequendo morem, poſſe dici credant.

Non igitur ita in Atticæ linguæ ſeu dialecti cõſuetudinẽ iurauit Communis vt nihil aliũde ſumere audeat. Ecce enim rurſus, ζῇς, ζῇ, & ζῇν pro ζᾷς, ζᾷ, & ζᾶν, item χρῇ, χρῆται, χρῆσθαι, pro χρᾷ, χρᾶται, χρᾶσθαι, ex Doribus ſumpta, aut ſaltẽ ad quorundam Doricorum formam efficta. Imò verò dices, Attica dialectus iſta eſt à Dorica mutuata, poſtea communis ab Attica. At ego, ne hoc credam obſtare dico quòd videmus, eos qui illo communi vtuntur ſermone, non itidem ſemper

cum Atticis, πεινῆς & διψῆς, πεινῆν & διψῆν, sed interdum etiam πεινᾷς & διψᾷς, eodémque modo πεινᾷν & διψᾷν dicere.

Apertius autem eius quod dico habemus argumentum in quibusdam verbis, quæ ex Dorica vel Ionica dialecto sũpta vsurpantur à Communi, quum in nullo esse apud Atticos vsu dicantur. Horum autem è numero est πάζω, (cuius suprà mentionem feci) quanuis enim Doribus adscribatur, tanquam ab iis in locum τοῦ πέζω substitutum, tamen & Testamenti noui scriptoribus in vsu esse videmus.

Neque certè Eustathius Communem linguam πλήσσω ab Attica sumpsisse scribit, sed Ἀττικὸν & κοινὸν esse πλήσσω, at verò Ionicum πλώσσω. Idem φάμβυοι scribit κοινὸν esse Ἀττικῶς: quum φαίτες vox sit qua delectantur poetæ.

Sic, quum esse Ionicum velit Corinthus χθὲς pro ἐχθὲς, (id est, Ionicam aphæresim passum, qualem videmus in κεῖνος pro ἐκεῖνος) tamen nemo est qui eo Communem quoque linguam vti nesciat.

Ac quanuis idem Iones εἶπας non εἶπων dicere scribat, & re vera passim apud Herodotum non participium illud duntaxat

taxat, sed verbum quoque legamus, hæc & in Communi lingua atque adeo apud sacri Euangelii scriptores frequenter occurrere constat. Iam verò quum illa quoque aphæresis quę est in πεποιήκεισαν, videri Ionica possit, (quanuis & Attici ea vtantur) tamē cum apud alios plerosque scriptores qui Communi lingua vtūtur, tum apud illos ipsos eam habemus. vt Marci cap. 15, φόνον πεποιήκεισαν. Huc autem pertinet & παρέξει, cuius paulo antè memini. Quid quòd apud Græcos Bibliorum interpretes legimus etiā nonnulla, ipsis, quod ad inflexionis attinet formā, propemodum peculiaria? Eiusmodi quidem certè quæ non temerè apud alium scriptorem simus inuēturi. Neque enim ἐδολιοῦσαν tantùm habemus apud eos, sed εὗρόσαν quoque & εἶδόσαν: quæ Bœotica siue Chalcidica à nonnullis existimantur.

Verùm, vt ad maiora veniam, quasdā me voces obseruare memini apud illos Veteris Testamenti interpretes, licet Cō muni lingua vtentes, quæ alicui dialecto peculiares sint, aut saltem certum quendam vsum, qui alicui dialecto peculiaris

est habeant. Talis est vox εὐοδοῦσθαι, vt in meo Thesauro videbis: verùm Herodotum non eo solùm sed eius quoque simplici ὁδοῦσθαι, cum alibi, tum pag. 168, vti, ibi non admonui. Scimus autem, ex vet. Testamenti interpretibus multa in nouũ vocabula venisse, ex quibus est δῶμα, eo quidem certè in vsu quo accipitur pro δωμάτιον, vt vocant cum alii, tum verò Lysias.

IAM verò & de hoc monendus est lector, quædam apud hunc vel illum scriptorem extare, ex eorũ numero qui Attici vocantur, quæ siue ex Ionica siue ex alia dialecto sumpta, sunt illi peculiaria. Sic Ionicam adiectionem literæ ι ad plurales datiuos, in multis extare Platonis locis ostendi: quã tamẽ haud temerè apud aliũ (eorũ qui soluta oratione vtũtur) inueniemus. Atque adeo huius terminationis apud illum ignorationem, quibusdã locis deprauationem attulisse credibile est: de vno quidem certè cui hoc contigisse suspicor, admoneo in Annotationibus quas meæ editioni Platonis subiunxi: nimirum in quadam quæ est in paginam 759.

Huc pertinent πείνη & δίψη. has enim in vocabulis istis terminationes idē Plato præ aliis amauit.

Sic Ionicum κεῖνος Xenophonti (soli fortasse ex scriptoribus Atticis) placuisse dicendum est, non autem mendosè apud eum scribi pro ἐκεῖνος, vt quidam annotarunt: nō annotatur ι certè, si in tot illius locis obseruassent in quot obseruatum à me fuit.

Non vnus autem siue ex Atticis scriptoribus, siue iis qui lingua Communi vsi sunt, præteriti passiui tertiam personam pluralem Ionicè efferre est ausus. Cuiusmodi esset si pro πεπυμμένοι εἰσὶ diceres πεπύφαται. Memini certè me talia quædā apud Dionem quoque historicum legere: ex quibus est παρεσκευάδαται.

At grammaticorum vulgus nobis pro Communis linguæ vocibus eas quoque obtrudit quas nusquam apud eos qui hac vtūtur, inuenire quisquam possit. Atque hoc in nominibus præsertim facit. veluti quum illius linguæ esse dicit πόλιος, φύσιος, item βασιλέος per ο. Hoc certè si verum est, Herodotus potius quàm quisquam alius eorum quos habemus scri-

ptorum, Cõmuni lingua vtitur: ac vicissim, si soli Attici πόλεως & βασιλέως dicunt, ipsi etiam Euangelistæ Attico sermone sunt vsi. Et tamẽ (quod mirum est) multi hoc verè à grammaticis dici, adeo sibi persuaserunt, vt tum etiam quũ Græcè aliquid scribere volunt, & non alio quàm Communi sermone vti, aliter loqui non audeant. Quid quòd in ipsis quoque librorum titulis, qui à doctis viris & magna cum attentione scribũtur, talem ignorantiam inuenias? Sic certè Homero cum Didymi scholiis Basileę per Io. Heruagium excuso titulum hunc præfixum habes, Ὁμήρου Ὀδύσσεια μετὰ Διδύμου τοῦ παλαιοτάτου ἐξηγήσεως. Vísne ô tu huius tituli scriptor (quicunque es) Ionicè loqui? Nequaquam, sed Cõmuni lingua vti. Cur ergo ἐξηγήσεως non dicis? Quia grammatici non hoc, sed illud, esse eorũ dixerunt qui κοινῶς loquũtur. Quid? an etiam omittere articulum τῆς ante Διδύμου, te docuerunt? Sed frustra posterius hoc quærerem, quum talia ad articulorũ vsum pertinentia, sicut alia quamplurima, omnino ab illis prætermittantur. Ad illud autem ἐξηγήσεως quod attinet, verè à

me dici, Ionicæ potius quàm Communis esse linguæ, suo ostendam loco.

Communis igitur lingua quænam sit, considera lector quàm bene à grammaticis docearis: quum multa illius esse velint, quæ nullo ipsa modo agnoscit, atque adeo (vt paulo antè dixi) apud neminem eorum qui illa vsi sunt, inueniũtur. Quasi verò (excipiet fortasse quispiam) aliquis ea sit vsus: & mihi Caninius nõ assentiatur, scribens Communem dialectum dici non qua natio aliqua aut scriptor quispiam vtatur: sed verba quæ ab aliis non immutãtur, ea Communẽ ad dialectum referenda esse: vt ἄρτος, χρυσὸς, λέγω, γράφω, aliáque generis eiusdem. Fateor ego hoc scripsisse Caninium, virum haud vulgariter Græcæ linguæ peritum, sed ea in re iudicio valuisse nego. Absit tamen vt Antesignano potius quàm illi assentiar, dicẽti Demosthenem & Aristophanem, licet Atticè loquuti dicantur, communi sermone scripsisse. Imò verò Atticè scripsit vterque: sed Aristophanes in nonnullis etiam quæ leuiora sunt, sermonis Attici consuetudinem magis seruat quàm Demosthenes. Exempli gratia, literæ, ad

Caninius, quomodo Dialectum Communem definiat.

pag. 11. linea 19. 20. 21. et seq.

quaſdam voces adiectio frequētior apud Ariſtophanem quàm apud Demoſthenē eſt. Paſſim enim apud illum occurrunt (exempli gratia οὗτοσὶ, τουτουὶ, τουτωὶ, τουτονί: & in Acharnenſibus poſt οὗτοσὶ ſubiungitur τυννουτοσὶ, (in iſto verſu, Οὐκ ἀνὴρ ὁ λέξων, οὗτοσὶ, τωννουτοσί) at verò apud hunc initio orationis Pro corona legimus quidem τουτονὶ, ſed tamen valde paruo interuallo τούτῳ non τουΐ ωὶ, & ὅδε non οὗτοσί. Sed nec ipſum Ariſtophanem ſemper illis vti dixi: ſicut nec ὁπὴ vbique eum dicentem audimus pro ὅπῃ: nec verò vbique datiuis adiicientem literam illam ι. nam dicit quidem τοῖσι χρησοῖσι in Pluto, & τοῖσιν ἀνθρώποισιν, eodémque alia nonnulla modo: ſed tamen ibidem τοῖς τυφλοῖς & τοῖς Αἰγυπτίοις.

Hîc verò perpendere operæpretium eſt, Atticã dialectum ita Ioniſmum hunc ad ſe tranſtuliſſe (eſſe enim Ionicam talem προσθεσιν literæ ι, vel ex Herodoto patet) vt tamen ex Atticis alii aliis magis eo vſi ſint: ſed & aliqui omnino vſu eius abſtinuerint. Vſus eſt Ariſtophanes, non vbique tamen: vſus eſt etiam Plato, ſed multo etiam rarius quàm Ariſtophanes:

eius autem vsu abstinuerũt omnino cum alii multi, tum verò is qui alioqui in Atticæ linguæ leges minimè peccare volebat: nimirum Demosthenes. Haud igitur propterea non scribere Atticè dicendus est. Libet autem hîc exemplo vti è nostro sermone petito, & quidem, quia de Atticis literam vnam adiicientibus loquimur, quod itidem sit adiectionis alicuius literæ. Quum igitur multi norint, ex Parisinis (iis præsertim qui nunquam aut nõ diu alibi commorati fuerint) multos *Ainsin* pro *Ainsi* pronuntiare: & quidẽ ex illis etiam qui alioqui vitia vulgi fugiẽtes, satis purè loquuntur: fingamus esse plurimos ex iis quorum elegans est & verè Frãcicus sermo, quibus illud *Ainsin* inter sermonis Gallici elegantias ponere, eóque vti placeat: an Francicè non loqui diceretur qui *Ainsi* non *Ainsin* diceret? Imò quemadmodum qui *Ainsin* dicerent, curiosius quàm rectius loquerentur, ita non dubium est quin multa vitauerint qui Atticè scribere volebant, quibus tamen alii vtebantur: quòd illi curiosæ cuidam vulgi imitationi, aliíve curiositatis generi ea imputarent, in quibus

hi aliquid elegantiæ ſitum eſſe exiſtimabant. Hinc videmus apud Lucianū quoſdam qui multa quæ alioqui ἀτΤικώτατα viderentur, cōſectari ſolebant, tanquam affectato ſermone vtentes, irrideri. Nec dubiū mihi eſt quin anus illa quæ ex paucis verbis Theophraſtum eſſe peregrinū iudicauit, ob animaduerſam affectationē quampiā id de illo iudiciū tulerit: (nihil enim affectatione eſt putidius, auribus præſertim natiuo ſermoni aſſuetis) quam tamen in pronuntiatione potius quàm alia in parte fuiſſe crediderim.

Verùm ad Communē linguam vt reuertar, quid illa hîc (vt in eo quod attuli exemplo manea m) in tali ſcriptorū Atticorum diſcrepantia agit? Atticos potius illos imitatur qui Ioniſmum valere ſinētes, illa literę adiectione non vtuntur. Viciſſim verò quum Atticos vno omnes cō ſenſu πόλεως dicentes audit, nullum cum Ionibus πόλιος aut πόλεος, libenter illos, non hos, ſequitur. Sed alius erit de Communi & Attico ſermone diſſerendi locus.

PRIVS autem quàm huic de dialectis ſermoni finem imponam, monendus

est lector, non omnia quæ alicui dialecto sint propria, vsurpari ab vnoquoque illorum qui ea vtantur: sed à quibusdam, vel quòd ea poetis magis conuenire putent, vel alia de causa, abstinere. Sic certè, quãuis genitiuum tertiæ declinationis Ionicum in οιο esse constet, tamen Herodotũ altero passim vti videmus (etiam in ipso historiæ suæ limine Ἡροδότου dicentem, non Ἡροδότοιο) at Homero valde placere Ionicum.

HVC pertinet quòd Eustathius de quibusdam accusatiuis Doricis loquens, obseruatum à nonnullis dicit, multos apud Hesiodum esse, etiamsi apud Homerum non sint.

Loquitur autem ibi de accusatiuis quorum mentio minimè prætermitti ab iis debuit qui de dialectis scripserunt: quum alioqui illi qui Theocriti lectioni assueti non sunt, multos locos nõ immeritò suspectos sint habituri. Ex quibus est hic, idyllio quinto, Πᾶσας ἐγὼ λουσῶ Συβαρίτιδος ἔνδοθι κράνας. Et iste, in sexto, -αὐτὰρ ἐγὼ κλασσῶ θύρας, ἔστε κ' ὀμόσσῃ &c. Et alibi, -ἐγὼ ὁ Τίτυρος αὐτὰς ἐλαύνω. Loquitur, inquam, Eustathius, de accusatiuis qui

istis, quantum ad quantitatem syllabicã, similes sunt. Quorum exemplum ex Hesiodo nullum affert: sed in promptu est hoc, ex Ergois, -νότοιό τε δεινὰς ἀήτας. Hoc quidem certè addit, accusatiuos, quorum nominatiui in αι desinunt, corripere α: at verò illos qui nominatiuos habeant in ες exeuntes, producere, contrà quàm in cõmuni dialecto.

HOC quoque obseruandum diligenter fuerit, quod satis negligenter illi docuerunt: quæ dialectus sit ψιλωτικὴ, quæ contrà δασυντικὴ: quæ βαρυτικὴ, quæ προπαροξυντικὴ, quæ περισπαστικὴ. quę denique ὑποκοπτικὴ sit pariter & συγκοπτικὴ.

IN EO tamen potissimum adhibenda est diligentia vt eam dialecti cuiusque proprietatem, ex qua vocabulum quodpiam significationem à consueta diuersam accipit, & notam habeamus & memoria semper teneamus. Exempli gratia, Iones interdũ ι pro ει ponere: & hinc fieri vt ἀπόδιξις apud Herodotum cum alibi tum in principio libri primi habeamus, pro eo quod alii scribunt ἀπόδειξις: eodémque modo ὑποδιχθέντα ibidem,

pro ἀποδειχθέντα. Sic alibi ἔργων ἀπόδεξιν, itidémque ἔργα ἀποδέξασθαι apud eum legimus: necnon γνώμη ἀποδέδεκτο. & pag. 118, ἐπίτροπον τῶν οἰκητῶν ἀπόδεξε. Eodémque modo alia composita δίδεξαν & καταδέξαντες apud eum inueniuntur. At quisquis Ionicam istam ὑπεξαίρεσιν literæ ignorabit, non mirum erit si ἀπόδεξις ab ἀποδέχομαι esse putet.

Sic qui nesciet Æolum morẽ in præfigenda litera β certis quibusdam vocabulis, is βράδιον quod pro ῥάδιον dicunt, planè aliud significare existimabit: vtpote à βραδὺ esse credens.

Accidet illi similiter qui Æoles, sicut & Dores (multa enim hæ dialecti inter se communia habent) tertiæ declinationis genitiuos litera ω claudere ignorabit, vt hęc legẽs Alcęi, Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλω, aduerbiũ istud cõtra morem datiuo iungi existimet. Neque enim dubitabit quin illi ω subscribi debeat: sicut Matthæus Debares, qui Indicem in Romanam Eustathij editionẽ confecit, adeo istud pro certo habuit, vt hoc quoque in eo annotarit: his verbis, Πρότερον δοτικῇ σωτας ὀμῦνον ἀντιπίωτι-

κῶς, οἷον ἐν τῷ, Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλω. At nihil tale cogitauit Alcæus: sed nec Eustathius, quum datiuo illi ἀμπέλῳ (malè enim ἀμπέλῳ ibi legitur, subscripto ι ipsi ω) subiungit, ἤγρωυ ἀμπέλου. Admonere enim vult lectorẽ esse genitiuum Æolicum. Sed nec Io. Grammaticus nec Corinthus vllam huius Æolici literæ ω talibus in locis vsus, mentionem fecerunt.

Sic verò & alia multa vterque prętermisit: non pauca confusè, quædam etiam aliter quàm vsus testetur, plurima certè imperfectè tradidit. Veluti quum scribit Corinthus, Iones datiuis pluralibus desinentibus in οις addere ι: & subiungit exẽplum ex Herodoto, τοῖσι Σαμίοισι: atque hinc ad aliud, nimirũ ad κλῃϊσθέντες pro κλεισθέντες, & Πλῃϊάδεω, pro Πλειάδεω, transit. Quasi verò talibus duntaxat datiuis literam illam adderent, & non in primæ & secundæ etiam declinationis datiuis eandem adiectionẽ sibi permitterent: mutando quidem simul αι in η. Nec verò minus imperfectè id ab Ioanne Grãmatico traditur: quum tamẽ ea quæ subiungit, admonere illum & potuerint & debuerint.

In hoc præterea multũ ab vtroque, ac præsertim à Corintho, peccatur, quòd per plures ab eo disperguntur locos quæ eôdem pertinent. Sic certè ille quum in vno eodémque loco horum trium facere mentionem debuisset, ἰμέῤῥων pro ἰμείρων, & φθέῤῥω pro φθείρω, & χέῤῥονα pro χείρονα, contrà hæc tria tribus diuersis in locis lectori proponit.

Omnium verò maximè periculosum est quod dixi, quædam etiam esse quæ illi contrà quàm vsus testetur, tradant. Quędam autem illa, non pauca esse, addo.

Sed quum ex duobus illis vnus malè quæ ad dialectos pertinent, alter peius tradidisset: Antesignanus (nam hac etiã de re monẽdus lector est) pessimè id præstitit. Ξυμφέρον (inquit in dialecto Attica) *pro* συμφέρον, *vtile. Istud habet locum in compositis à præpositione* σύ. quum prius docere debuisset Atticos præpositionẽ σὺ in ξὺ mutare. Et in dialecto Dorica de mutatione quæ fit in ευ ita verba facit vt excludat Θεύγνιδος pro Θεόγνιδος, & similia. Quid quòd pauciora propemodum sunt quæ dicit iis quæ omittit?

Nec tamen tantam viciſſim his in re-

bus λεπτολογίαν probauerim, vt (exempli gratia) disceptandum putem de vocatiuo ποιμὰν apud Theocritum, an mutari in ποιμὼ debeat, sequendo eam quæ ab Herodiano traditur regulam, & fidem interim omnibus illius poetæ exemplaribus derogando.

Verùm, alia ex parte, magna hîc cautio adhibenda est, ne vllius dialecti idiomata lõgius quàm par sit extẽdamus. qua in re à multis peccari video. Verbi gratia, quoniã Attici multa quę in lingua Communi desinunt in ος, efferunt per ως: an ideo dices cum Vincentio Obsopœo, ἑλέω esse genitiuum Atticum, ab ἕλεως? Certè si hoc cum illo dices, cum illo ridebere. quid enim magis ridiculum iis qui in multis quidem hoc ab Atticis fieri, sed non in omnibus, norunt, & quæ illa multa sint, meminerunt? Ne quid autem tanto viro affingere videar, illud ab eo dictum fuit Annotationibus in tertiũ Græc. epigrammatum librum, in quodã εἰς ἰχθύας scripto, versu tertio,

Ἀλλ' ἐπὶ μὴ γαίης ἐλέω τόπος.

Hîc enim quòd in aliqua editione (Badiana opinor) vocem ἐλέω ita scriptam, iota

videlicet non subscripto literæ ω, aut etiã ἕλεω, cum accentu in antepenultima, inueniſſet, à nominatiuo Attico ἕλεως eſſe annotauit. Tanti eſt, tanti, quibus cancellis grammatici ſingula circunſcribãt, meminiſſe.

Niſi dicendum potius fuit, meminiſſe quibus cãcellis grammatice ſingula circunſcribat. tam latè enim patere hæc poteſt, quàm latè ſermonis Græci vſus patet: (ſic tamen vt quæ paucis præter aliorum, qui multi ſint, conſuetudinem, ſunt in vſu, ſeparentur) at verò grammaticos de quibuſdam quæ apud primarios etiam linguæ Græcæ ſcriptores extant, tacuiſſe dico. Quis enim in Optatiuo talem tertiæ perſonæ ſingularis formã nobis proponit qualis apud Euripidem eſt κρίνοιεν? in Heraclidis,

Τίς ἂν δίκλω κρίνοιεν, ἢ δοῖν λόγοιν;

& quidem hanc lectionem agnoſcente etiam Stobæo. Verùm & hoc & alia quæ grammatici non obſeruarunt, ſuis ſingula locis examinabuntur.

Communes, α, ι, υ. nam litera C, communes significat: vt B, breues: L, longæ.

Pag. 3. posteriori facie.

IN errorem multos hoc induxit, nec pauciores inducit quotidie, qui se scribẽdis versibus exercent, quòd grammatici has vocales, α, ι, υ, communes siue ancipites esse scribentes, id est, modò breues, modò longas: (vnde à Græcis φωνήεντα δίχρονα appellantur) non addant (addere autem quidam quod non obseruarant, minimè poterant) haud eodem vbique modo esse ancipites: sed in plerisque vocabulis nomen illud habere, quòd in eorum nonnullis producantur, in nonnullis corripiantur: at in certis quibusdam appellationem illam sibi vindicare, quòd interdum productæ, interdum cõtrà correptæ in iisdem inueniantur.

Malè igitur quidam in Clenardum, (vbi scribit, *Ancipites, α, ι, υ, quæ & communes dicuntur, quòd modò sint longæ, modò breues*) annotat, ita vocari quòd in hac voce producantur, in illa corripiãtur: non autem, quòd in vna eadémque voce & produci possint & corripi. Hoc enim ita sine exce-

exceptione dictum, multis poetarum locis cum aliorũ, tum verò priscorum, Homeri & Hesiodi, refellitur. Addere igitur debuerat, Præterquam in certis quibusdam vocibus. Nam α in vna eadémque voce Ἄρης, necnon in ἀνήρ, & δαήρ, apud ipsum etiam Homerum: sic ι, in vno eodémque nomine φίλος: sic υ in vno eodémque vocabulo ὕδωρ, modò longum, modò breue cernimus. Neque tantum in iisdem vocibus & apud eundem poetam illa quantitatis syllabæ diuersitas (quã διφόρησιν quidã vocarũt, sicut tales vocales διφορεῖσθαι dixerũt) sed interdum (quod magis mirum est) in vno eodémque versu spectatur. Legimus enim apud Homerum Il. ε, duobus in locis,

Ἄρες, ἄρες βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα.

quam libertatem velut admirans simul & inuidens Græcis poetis Martialis, dixit, *Et queis ἄρες ἄρες licet sonare.*

Nec verò posteri huius libertatis hæredes esse noluerunt. Ita enim Callimachus, Καλὰ μὲν νέξευ, καλὰ δ' ἔτραφες οὐράνιε Ζεῦ.

Ita etiam Theocritus, Idyllio v 1, -καὶ γὰρ

ἔρωτι Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

Idem Id.8, sibi plus permittēs quem Homerus, Λευκὸν καρὸν ἔχισαν, ἴσον κάτω, ἴσον ἄνωθεν.

Sed quanuis hæ vocales in quibusdā vocabulis ita sint ancipites, contrà tamē in plerisque tales non esse cōstat. Neque enim (exempli gratia) α vnquam breue voluerunt esse poetæ, præsertim veteres, in λαὸς, aut iis quæ ex eo sunt deriuata: neque in ἀρὰ & ἀρᾶδζ, neque in φασὶ, neque in κιχάνω & ἱκάνω Homerus. Sic ι corripiendum non censuerunt in ἴλιον, in ἰχὼρ, in τίω, τιμὴ, vel deriuatis: neq; in νίκη, neque in πῖαρ & πίων, neque in ἰθὺς & ἰθύω, in ἰᾶδαι siue ἰήσασθαι, vel oriundis ab eo ἰητὴρ & ἰητρός: neque in ἴμερος (quanuis in verbo ἱμείρεδζ hinc deducto nonnunquam corripiatur) neque in ἀνία, neque in obliquis casibus nominis μάσιξ. Sic υ raptim efferre illis non placuit in ὑμεῖς, in ὕλη, in ψυχὴ, in χρυσὸς, in θυμὸς, in μῦθος, in μυελὸς, in μύρομαι.

Vicissim autem nō visum illis est producere α in ἄναξ, vel deriuatis, in ἄγω & ἀγὸς, in ἀγὼν, in πατὴρ, in ἀκούω, in φάτο: (quanuis in φασὶ longam esse vellent, vt

dixi) ac ne alterutrum quidem in μάλα, ἅμα, ἄρα. Sic etiam ι non iudicarunt esse producendum in ἵμας, in ἰωὴ, in ἰωγὴ, in ἰαχὴ, in ἰαύω, in ἰάπτω, in ἰαίνω. Denique & quod ad υ attinet, grata illis minimè fuit eius productio in ὗες, in ὕπαρ, in ὕπατος, in ὑφαίνω, in μυχὸς, in γωνὴ, in φυγὴ, vel aoristo ἔφυγον. quod & de cæteris huiusmodi aoristis dicendum est. Alia autē perpetuæ in vnaquaque illarum vocaliū vel productionis vel correptionis exempla lectori obseruanda relinquo.

Verùm hîc de quadam re monendus est, de qua monitum à nemine esse puto: quum tamen ob eius ignorationem in multis poetarum locis hæsurum illū verisimile sit. Sciat igitur Homeri posteros libertatem quandam circa vocum quarundam quātitatem sibi tribuisse, ab Homero discedentes: præcipuè autem iambicos. Hi enim in comparatiuis ι producere, quod veteres poetæ corripuissent, non dubitarunt: vt in κακίων, in καλλίων, in ἡδίων, in ταχίων, & similibus: eodémq; modo in κάκιον, κάλλιον, ἥδιον, τάχιον, (siue neutra nomina, siue aduerbia sint) & similibus. Sic certè κάκιον apud Sophoclem

pag.151,& κάλλιον,pag.170, habes. Verùm ne hoc quidem soli tragici & comici poetę sibi permiserũt,verùm & in epigrãmatibus idem videre est. Legimus enim Epigr. lib.1,p.91,in quodã Philippi,Οὐρανὸς ἄστρα τάχιον ἐποσβέσει. Et lib. 2, p. 127, & τάχιον & βράδιον,producta litera ι.

Apud eosdem poetas, tragicos & comicos inquam,(præsertimque illos) vice versa correptam literam ι in ἴσος passim inuenias, quũ ab Homero semper, ab aliis veterib⁹ poetis plerũque producatur. Tantùm Plerũque dico, quòd alicubi ab Hesiodo corripi meminerim: vt à Theocrito,suprà,pag.50.

Quod autem apud tragicos ἧμιν siue ἡμὶν,it idémque ὦμιν siue ὑμὶν,legimus plerisque in locis, correpto ι, quod in ἡμῖν producitur, id certè commune cum Homero habent: sed apud hunc ἧμιν potius scribitur,apud illos autem altera quoque scriptura frequens est. Inuenies enim ἡμὶν apud Sophoclem,cum alibi,tum pag. 150,bis,& p.153.Sic ὑμὶν pag.192,& alibi.

Cæterùm recentissimos quosque scriptores libertatem maximam in vsu vocalium quæ communes siue ancipites vocantur,sibi cõcessisse constat. Nam vt de

Gregorio Nazianzeno taceam, videmus Agathiam ausum esse producere υ in φύσις, pag. 110 Anthologiæ epigrammatum. Quòd si quis non minus licentię dicat esse in productione literæ α in ἀγὼν apud Sophoclem, is derogandam exemplaribus fidem esse sciat. Nam in OEdipo Coloneo, malè in plerisque scriptum est, Χὤπως μὴ ἀγὼν ὅδ' ἤρεθη, pro Χὤπως ἀγὼν μὴ, vt in mea editione legitur. Quod autem ad hunc extremę Electræ versum attinet, Νεῶ ἐστιν ἀγών· ἀλλὰ σῆς ψυχῆς πέρι, ego ὁ ἀγὼν veram scripturam esse suspicor.

Quæ tres priores, cum ει, ευ, & α, immutabilibus, propriæ sunt. Pag. 3. poster. facie.

Imò verò diphthongi ει & ευ non vbique sunt immutabiles, quum νὺξ ὁ μὲν & ἧκα ζον Attici interdum dicant: quorum themata sunt εὔχομαι & εἰκάζω. Hoc tamẽ & cæteri grammatici de ista diphthongo ει perhibent: atque adeo idẽ verbum à Clenardo affertur ad confirmandum illud (tacẽte interim Antesignano) quod ego attuli ad refellendum. Aptius certè est hoc exemplũ, quàm vel ἧ ειν vel ἧ δειν,

quum horum themata habeant quidem illam diphthongum & ipsa, verùm in soluta oratione locum non habeant. sunt enim εἴω & εἴδω.

Tres posteriores, cum ᾳ, ᾱ, *&* ωυ. ita enim scribendum.

Ita sicut sex diphthongos proprias, totidem vult esse improprias, ᾳ, ῃ, ῳ, ῑ, ηυ, ωυ. ac multis certè & aliis grammaticis idem placet: non tamen omnibus. Gaza enim quatuor tātùm constituit, ᾳ, ῃ, ῳ, ῑ: Chrysoloras autē, (vt cæteros prętermittā) mediā inter Gazam & illos viam tenens, quinque enumerat, ᾳ, ῃ, ηυ, ῑ, ῳ. Ac malim certè huic quàm illi assentiri: vt ωυ tantùm reiiciatur, quòd Ionibus sit peculiaris. (ab illis enim qui idē de ηυ quoque dicunt, planè dissentio) Nisi quis malit ita sex enumerare vt tamen hanc ab aliis seiungat, & seorsum tanquam peregrinæ, det locum.

Sunt porro qui has diphthongos improprias, καταχρησικὰς vocent: sed malim dicere, καταχρησικῶς λεγομένας. Ac putāt quidem nonnulli, has ideo dici esse improprias, seu impropriè vel per catachresin appellari diphthōgos, quòd mutatio-

ne fiant (veluti quum ex βοάει fit βοᾷ, itidémque ex βοάειν, βοᾶν: quum ex ἄῤρω fit ἦρον, & ex ἀῤρῶ, ἤρουν: quum ex οἰκῶ fit ᾤκουν: ex οἰκίζω, ᾠκιζον: ex βοάοιμι, βοῷμι: ex ἀοιδή, ᾠδή: itidémque quum ex ὄδδω fit ὧδον, quum denique ab Ionibus ex ὁ αὐτὸς fit ὠυτός) sed si hoc spectetur, potiꝰ, meo quidem iudicio, aduentitiæ seu ascititiæ, quàm impropriæ, nominandæ fuerint: vt omittam non ita in υ, vt in aliis, rationem hãc valere. Ac ne hoc quidem admiserim, dictas esse improprias, quòd sint κακόφωνοι: at illæ quæ propriæ dicantur, sint εὔφωνοι. Nam vt hæc εὐφωνία & illa κακοφωνία concederetur, huius duo genera cõstituenda essent: quum hæ tres, α, η, & ω, ἄφωνοι etiam à nonnullis dicantur. Satius igitur fuerit hanc appellationem ad earum naturã referre, & improprias appellari existimare, quòd non ad latus habeant, verùm sub vocali scriptum: vnde fit vt illa vis τοῦ διφθογγεῖν amittatur.

Tenues, Mediæ, Aspiratæ. Ibidem.

Quæ hîc vocantur Aspiratæ, nominãtur etiam Crassæ, necnon Densę: sicut nimirum à Græcis δασέα γράμματα. Oppo-

sitæ autem illis dicuntur ψιλά: quod Tenues reddi solet, seu Exiles. Respiciũt autem ad pronuntiationem hæ appellationes, quòd hæ parum, illæ multum spiritus ad pronuntiationem requirant.

Dicuntur porro hæc elementa, θ, φ, χ, esse ἀντίστοιχα illis, τ, π, κ: quasi dicas Opposita elementa, seu cõtraria. Ex quo quidem nomine grammatici fecerunt ἀντιστοιχία & ἀντιστοιχεῖν. Quum autem hi pro ἀντιστοιχίας exemplo afferant eam quæ in coniugationibus cernitur mutationem, qualis est quum ex θύω fit τέθυκα, ex φρονῶ fit πεφρόνηκα, ex χαράττω fit κεχάραγκα, ego alia ἀντιστοιχίας, & quidem illustriora, esse exempla dixerim. Primùm in ea mutatione quę fit propter apostrophum, vt quum dicitur νύχθ' ὅλην pro νύκτ' ὅλην, item τίφθ' οὕτως pro τίπτ' οὕτως. Deinde in formationibus aoristorum, vel præteritorum. vt quum ex τύπτομαι & ῥίπτομαι & βλάπτομαι formantur ἐτύφθην & ἐῤῥίφθην & ἐβλάφθην: quum ex ἐῤῥιπται, πεφοίνικται, πέπλεκται formantur ἐῤῥῆχθαι, & πεφονίχθαι & πεπλῆχθαι. Postremò in nonnullis compositionibus, cuiusmodi sunt, καχύποπτος, καχήμερος,

καχέκτης & καχεξία. Nam hîc quoque est ἀντισοιχία, quum στοιχεῖον χ locum τοῦ κ accipiat. Sic in αὐθάδεια Θ locum τοῦ τ accipit, est enim pro αὐτάδεια: quod, si ἀντισοιχία non interueniret, per syncopen ex αὐτοάδεια fieret.

Hæc tamen στοιχεῖα (id est elementa) ἀντίστοιχα, vocantur etiam σύστοιχα, non considerando diuersam aut etiam contrariam eorum naturam: verùm quam talis permutatio dare illis videtur cognationem.

Tres duplices, ζ, ξ, ψ. Estque ζ pro δς.
Pag. 3. par. poster.

Scio in hac opinione esse & quosdam alios: sed hanc refellere videntur ea verba quæ in dialecto Dorica nõ δς, sed σδ, pro ζ habẽt. vt συείσδω pro συρίζω, & φράσδω pro φράζω, & ἀγοράσδω pro ἀγοράζω, & ἔσδομαι pro ἔζομαι. itidémque nomina in σδος: ex quibus est μασδός. nam pro μαζὸς ab illis dicitur.

Quinetiam Æoles literas illas σδ in locum huius duplicis substituunt: & quidem in ipso etiam principio. Affertur enim à Corintho σδυγὸς pro ζυγός. Sed-

enim apud Ioannem Grammaticum nō σδυγὸν, verùm δυγὸν, legimus: itidémque δσευς (non σδεις) & μελίδσειν (nō μελίσδειν) tanquam ab Æolibus vſurpata pro ζυγὸν, & ζεις, & μελίζειν.

Vice tamen verſa litera ζ vtuntur iidē Æoles pro δ. dicunt enim (teſte Io. Grāmatico) ζιαβάλλειν pro διαβάλλειν, & ζιὰ νυκτὸς pro διὰ νυκτός. Verùm ζαβάλλειν etiā & ζανυκτὸς legimus. pro qua ſcriptura facit quòd Zabolus nō Ziabolus paſſim apud Phœbadium occurrit: itidémque ex Hilario non hoc ſed illud affertur.

Inuenitur ζ vim etiam amittens duplicis, Anthol. epigr. p. 181, Βαπτίζεται δ' ὕπνῳ χείτονι τοῦ θανάτε.

Ψ pro πσ, βσ, φσ. Ibidem.

Que madmodum non videtur dubitādū eſſe quin ζ pro σδ, ob tā multa verba quæ σδω apud Dores pro ζω, & quædam etiā nomina quæ σδος pro ζος, habēt: (vt interim de Æolibus, propter illam controuerſam ſcripturā, taceamus) ita quin ψ ſit pro πσ, nullam nobis dubitationem relinquunt πέλοπς & κύκλωπς: quæ ſcriptura Æolico ſermoni tribuitur. Eam

autem Latini ſequuntur.

At verò huius literæ ψ diſſolutio in βσ & φσ, haud itidem eſſe Æolum traditur: ſed Latini vel potius ex Latinis ii qui ſcripſerunt Obſonium, non Opſonium, diſſoluerunt ψ in βσ. Annotarũt quidem certè nonnulli grammatici verti φ in β, quum dicitur τέτυμμαι: (quippe quod ſit pro τέτυβμαι, facto ex τέτυφμαι) ſicut in τέτυψαι vertitur in πτ: quippe quòd ſit pro τέτυπται. Sic verò & in tertia τέτυπται.

Liquidæ quatuor, λ, μ, ν, ρ. Ibidem.

Malè quidam elementum λ dictũ putarunt ὑγρὸν, quaſi λεῖον: quum ρ quoque dici ὑγρὸν audiamus, quod tamen cõtrariæ omnino eſt naturę: adeo vt potius τραχὺ, ad hanc reſpiciendo, ſit appellandũ: ſicut Ouidius aſperam literam vocauit, & viciſſim L, literam lenem. Illa igitur in appellatione aliò reſpici crediderim: nimirum ad eum quem vnaquæque habet plerunque vſum apud poetas, quum mutæ ſubiungitur. Scimus enim frangi & velut liqueſcere earum ſonum.

Spiritus vel tenuis est vel densus.

Pag. 4. parte pr.

Pro tenui sunt qui lenē dixerint, & vicissim pro dēso, asperum: sicut ab Ouidio literam L, lenem: contrà R, vocari asperam videmus. Sed de huiusmodi lenitate & asperitate minimè hîc agitur: ideóque appellationes illas quidam meritò reprehendunt: quòd spiritus non lenitati vel leuitati (id est λειότητι) aut contrà asperitati literarum significandæ reperti sint, verùm vt ad rarum vel contrà copiosum spiritum pronuntiationem accommodemus. Apud Latinos aspirationis tantùm fit mentio: at sermo Gallicus ambos illos spiritus habere videtur, in certis quibusdam vocabulis: ita vt in horū vno vnus, in altero alter sentiatur: sed ex ore illorū qui bene pronuntiant. Sunt enim alioqui non pauci qui pronuntiatione distinguere hos minimè norunt: & quorum pronuntiatio nullum spiritum ostendat, vbi tamen non planè nullus sed tenuis tantùm ostendi debet: at verò vbi denso est opus, ibi tenui sint contenti.

Sunt verò & qui pro dēso spiritu cras-

sum dicant: ac certè quidem tenui crassus opponitur, sed Græco δασεῖ melius respondet densus.

Aspiratum etiam quin vocemus spiritū, nihil obstat, quū H, aspirationis apud Latinos notam, passim locum eius subire videamus. Scribit autē Athenæus, se putare priscos Græcos spiritum densum figura literæ η indicasse: vnde factum esse vt Romani eam omnibus vocabulis quæ illo spiritu notantur præfigant.

Sciendum est verò, isti spiritui hoc concedi ab Homero vt præcedentē producere syllabā possit. Latinos certè poetas hanc vim aspirationi suæ itidem tribuisse, sed rarò, versatis in illorum lectione minimè est incognitum. Legunt enim apud Maronem, *Ille latus niueum molli fultus hyacintho.* Eodémque modo in Gallicis rhythmis (quos vulgo appellamus *rymes*) aspirationis hanc vim esse videmus vt elisio ea sequente non fiat, præterquā à poetis rectæ pronuntiationis ignaris.

Miretur porro aliquis, legens apud Chrysoloram & quosdam alios qui institutiones grammaticas Græcè scripserūt, πνεύματα diuidi in ψιλὴν & δασεῖαν. Po-

tius enim expectet (nec immeritò certè) ψιλὸν & δασύ. Sed cũ illis fœmininis subaudiri προσῳδίαν volunt: sicut & quum duos χρόνους esse tradunt, τὸ μακρὰν καὶ τὸ βραχεῖαν. Dicendum tamen potius erat illic τὸ ψιλὸν ἢ τὸ δασύ: & hîc τ̀ μακρὸν ἢ τὸν βραχύ. De iis autem quibus propriè appellatio προσῳδιῶν debetur, dicetur infrá.

Cæterùm morem priscis fuisse Græcis, vocales non tantùm quę essent in principio vocum, sed & quæ in alia earum parte, πνευματίζειν, ex Athenæo patet. vbi dicit fieri apud Atticos & Iones non posse vt in vocabulis quæ vnam excedunt syllabam, vltima à vocali incipiens densum spiritum recipiat: sed omnino tenuari oportere. affértque in exemplum, πρᾶός, & κεῖος, & ὑῖός, & λαὸς, & πηὸς, & γρόος, & ζωὸς. necnon λαγωὸς. itidemque νεὼς, & λεὼς, & τωυδάρεως. Sed ista & alia apud Athenæum, ex quo Eustathius hoc ipso ordine affert, spiritu minimè sunt notata: apud hunc autem malè spiritus in penultima positus est, cuius sedes in vltima est. Videri autem queant contra hanc regulam facere ea vocabula Græca quæ

quum huiusmodi sint, habent tamen apud Latinos aspirationis notam. veluti Dahæ. Perinde est enim acsi scriberetur δάαι, non δάαι. Sed responderi potest, Latinos in eiusmodi scriptura, non Græcos, sed suum ipsorum aut certè suorum maiorum morem sequi. Solebant enim veteres Latini aspirationi inter vocales locum dare. vnde sunt Vehemens & Prehendo.

Idem Eustathius alibi de alio vocabulorum genere loquens, πνευματιζομένων, itidem affert in exemplum, tenuatarum quidem, Εὐάιμων, & Φίλιππος, ac Μελάνιππος, & Ἐνυάλιος: aspiratarum verò, πάνορμος, & μελιηδὴς, & ἀέκων. Quinetiam placuisse nonnullis ait, genitiuum ἄλος in nominibus propriis ex eo genitiuo per compositionem factis, tenuem spiritum accipere: vt in Εὐρύαλος, & Ἀσύαλος: at verò in epitheticis, alterum. vt in ἀμφίαλος, in ὕφαλος, in πάραλος. Eadémque ratione quosdam voluisse grammaticos Φίλιππος scribi nomen proprium: at verò epitheticum, φίλιππος.

Scribit idem scholiastes, moris habuisse Græcos tres suas consonantes tenues

ſpiritu tenui, tres aſpiratas ſpiritu denſo notare. Huc autem pertinet mutatio verbi φαύω in αὔω. ſi enim verum eſt φαύω verſum eſſe in αὔω, certè aſpirata litera in aſpirationē tranſiiſſe dici queat. Quod tamen ille exemplum non affert, ſed ἄζω ex χάζω factum.

Iam verò & literā ρ alibi etiā quàm in principio ſolitos fuiſſe priſcos illos πνευματίζειν, ex eodem diſcimus: qui etiā tradit παλαῴρινος Ariſtarchum ſcripſiſſe cū tenui: at Tryphonem παλαῴῥινος cum dēſo: quòd hic compoſitam eſſe vocem ex παλαιὸς & ῥινὸς exiſtimaret, ille pro ſimplici eam haberet. Talem verò alibi & de voce ἐξεσία controuerſiam inter Ariſtarchum & Neoptolemum Parianum commemorat. Illum enim ἐξεσία ſcripſiſſe, veterem ſequendo morem: at hunc ἐξέσια, cum tenui, tanquam ab ἐξιέναι.

Sed illorum Grecorum poſteritati neque hunc literæ ρ neque illum illarum volumen πνευματισμὸν, iam inde à longa annorum ſerie placuiſſe, vel ex eo coniicere poſſumus, quòd in vetuſtiſſimis omniū quæ venire in vllius manus queūt exemplaribus, nullū eius veſtigium cernimus.

nimus. Ideóque minimè de pleniore huius consuetudinis cognitione laborãdum esse dixerim.

Nam principio dictionum semper sic pingendum est ὑ, *&* ῥ. Ibidem.

Non in principio duntaxat vocum sed in alia etiam parte earum literam ρ solitam fuisse à priscis πνευματίζεσθαι, paulo antè docui. At verò ex earum numero quas posteris in principio πνευματίζειν libuit, excipi aiunt ῥάρος, ῥαδίον, & ῥαριας: necnon ῥωρός: ob vnius eiusdémque literæ in his vocabulis propinquitatem.

Addunt verò quidam, ρ simplex pro duplici (ita poscẽte versu) positum, tenui spiritu notatum inueniri in optimis exẽplaribus. vt in ἄρεκτον pro ἄῤῥεκτον. Atque hoc certè dicendum itidem de ἀμφίρυτος esset. Verùm ego ista optima exemplaria quænam sint, scire velim.

Ad υ autem quod attinet, propemodũ superuacaneum est, ὔμμες, & cæteros itidem huius pronominis casus excipere: quũ Æolicæ linguæ sint peculiares: quæ adeo spiritum densum auersatur vt quæ

e.i.

cæteri Græci isto notant, illa tenui notare soleat.

Acutus, Grauis, Circumflexus ex vtroque.
Ibidem.

Hæc tantùm tria propriè προσῳδίαι à Græcis vocantur: quo tamen nomine & ambo spiritus comprehendi posse nõ negauerim: vt sint quinque προσῳδίαι. Eustathium certè cõprehendisse, ex eo coniiciẽdum videtur quòd ψιλὼ & δασεῖαν dicit. Sunt tamẽ septem apud quosdam grammaticos quæ hoc nomen obtinent: apud nonnullos, etiam decem. Verùm vtrique, differentiæ causa, præter illud nomen aliud tribus istis accentibus dare coguntur, & τόνους appellare. Nam qui septem προσῳδίας enumerant, in tria has diuidunt, in τόνους, & χρόνους, & πνεύματα: qui in decem, his addunt quartum, πάθη: hoc nomine complectentes Apostrophon, Hyphen, & Diastolen. Ac Eustathius certè hanc παθῶν appellationem tribus istis & ipse tribuit: qui non hæc tãtùm, vt opinor, sed etiam χρόνους (quos & cum adiectione χρόνους συλλαβικοὺς quidam nominarunt) illa προσῳδιῶν appel-

latione excludit. Ad hanc tamen reſpicientes grammatici plerique, genere fœminino χρόνων illorum nomina efferunt, dicentes μακρὰν κὴ βραχεῖαν, non μακρὸν κὴ βραχύ. Ineptè profectò: ſicut & quũ poſt δύο πνεύματα, non δασὺ κὴ ψιλὸν, ſed δασεῖαν κὴ ψιλὴν ſubiungunt. Quanuis enim hi ſpiritus ſub προσῳδιῶν appellatione contineri queant (vt antè dictum eſt) tamen quærenti πόσα πνεύματα, reſpondendum erat eodem genere, neutro nimirum, non fœminino.

Vereor autem vt προσῳδίαι, nõ ſolùm Accentus, ſed etiã Soni appellari à nobis poſſint (vt hic & quidam alii nominarunt) quum potius indices ſint ſonorum quàm ſoni.

Quemadmodum porro ex duobus ſpiritibus vnum vim habere dictum eſt quæ alteri nõ inſit, producendæ videlicet præcedentis ſyllabæ, ita etiam accentui acuto, non item graui, hanc vim ineſſe ſciẽdum eſt.

Ad circumflexum quod attinet, Herodianus de ἀχρήϊος & ἀχρεῖος loquens, dicit acutum & grauem accentum σωίζοντας, circũflexum efficere: quod ratio-

ne minimè carere videtur. Contrà autẽ, Moſchopulum dicere non dubitem nugari, quum ex litera λ, duas in partes ſecta, acutum & grauem fieri dicit: at verò circumflexum, ex parte vna literæ θ, tripartitæ. Rationem enim reddẽs cur propriè προσῳδίαι ſint tãtummodo ſeptem: apoſtrophus autem, & hyphen, & hypodiaſtole, nonniſi per catachreſin: Quia (inquit) cęterę proſodiæ ex elemẽtis fiũt. Nã λ ſectum in duas partes, acutũ & grauem facit. At verò θ ſectum tres in partes, facit longam, breuem, & circũflexã proſodiam. Spiritus autem ex litera ρ bipartita fiunt.

Eáque vel vltima, vt ποιῶ: vel penultima. Ibidem.

Inuenitur quidẽ circũflexus & in antepenultima: ſed in vocabulis quæ nõ habent primam ſyllabam cum ſequentibus natura cohęrentem: veluti quum ab ὅςτις ſcribitur οὔτινος: eodémque modo ὥτινι & οἵςτισι. Sic autem, quanuis vnum idémque vocabulum duos habere accentus non poſſit, tamẽ οἵόςτε, οἵοίτε & οἵόντε ſcribitur, quòd τε natura cum illis voca-

bulis non cohæreat. Quòd si seiungens vocalam encliticam τε scribas οἷός τε, & dicas, οἷός τε εἰμὶ, potius significabis Qualisque sum, quàm Possum, δυνατὸς εἰμί.

Nisi extrema sit breuis: vt ἄνθρωπος.

Ibidem.

Sicut ἄνθρωπος, ita etiam ἄνθρωποι: sicut Ὄμηρος, ita etiam Ὄμηροι scribitur: sed hîc vltima syllaba pro breui censetur: vt in voce δοῦλοι breuem in ratione accentuum haberi, modò dictum fuit.

Apostrophus nota est reiectæ à fine dictionis vel vocalis, α, ε, ι, ο, vel diphthongi αι, & οι.

Pag. 4. parte post.

Etiam vocalem η fuerunt qui ab Homero per apostrophum fuisse reiectã siue elisam crediderint, & (si bene memini) à Callimacho.

Sed priusquam de illius vocalis reiectione (quorundam iudicio) differam, alia de apostropho multa dicenda sunt, quę à grammaticis fuerunt præterita: quum tamen præteriri minimè debuerint.

Primum fortasse quorũ monere lectorem debuerant, hoc erat, aliquam fuisse à

pronuntiante interpositam moram, quæ elisionē posset indicare. Vnde verò hoc colligitur? Ex Aristophane quendam in suis Ranis histrionem irridente quòd dixisset, Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ. quasi auditorum aures incertas reliquisset vtrum γαλήν' ὁρῶ (pro γαλῶν' ὁρῶ) an γαλῶ ὁρῶ dictum esset. Est porro Euripidis in Oreste ille versus: in quo pronūtiando fertur histrionē ἐπλεῖψαι τὸ πνεῦμα, ideóque ita σωσελεῖν τὸν σωσαλοιφόν. Sed apud enarratorem Aristophanis προστάντος τοῦ πνεύματος, non ἐπλείψαντος, legitur. Non dubito autem quin & poetæ ipsi irriderentur de locis, quibus aliquid ridiculi subesse poterat, si quis apostrophi rationem in pronuntiatione non haberet. Mouit certè itidē risum hic Epicharmi versus, Ὁ Ζεὺς μ' ἐκάλεσε Πέλοπ' γ' ἔραννον ἐσιῶν: quasi auditor statim vocem γέρανον audire videri sibi posset.

Secundū erat, monere de locis in quibus videndum est, è duabus elisionibus vtra sit conuenientior. Exempli gratia apud Sophoclem Electra,

Ἔπειθ' ἑλοῦ γε θάτερον, ἢ φρονεῖν κακῶς,
Ἢ τοὺς φίλους, φρονοῦσα, μὴ μνήμην ἔχειν,

aliquis elisionem literæ α esse dixerit, vt sit pro ἔπειτα: alius elisionem diphthongi οι, vt sit pro ἐπείτοι. qua certè sum ego in sententia, quũ paulo etiam antè legatur, Πέποιθ', ἐπεί τ' ἂν ὀμακρὰν ἕζων ἐγώ. Triclinius tamen illud Ε'πειθ' esse vult pro ἔπειτα: quem sequẽdo ἔπειθ' esset scribendum.

Tertium, non tantùm ἐν τῇ ἀκολουθίᾳ τοῦ λόγου solitam fieri hãc elisionem, sed etiam post hypostigmen, quinetiam (sed rarius) post teleian stigmen. In illo certè Sophoclis versu quem attuli vltimum, post πέποιθ' habere locum videmus hypostigmen, aut etiam (prout diuersis diuersa est interpungendi ratio) teleian stigmen. Sic apud Lucianum in Charonte, Νὴ Δί'. οὐ γάρ ἐστιν αὐτῷ ἐν Δελφοῖς ἀνάθημα οὐδὲν τοιοῦτον. Alicubi verò & sequente nota interrogationis spectatur hæc elisio.

Quartum, accentum vocabuli cuius vocalis aut diphthongus eliditur, plerunque in anteriorem partem retrahi. vt, οὐκ ἀνέκτ' αὐτὰ εἶναι λέγων, pro οὐκ ἀνεκτὰ αὐτὰ εἶναι. Sic ἐλεεῖν' ὑποβλέπων, pro ἐλεεινὰ ὑποβλέπων. Sic χαλέπ' ἄλγη pro χαλεπὰ

ἄλσεα. Sed inuenitur in quibusdã dissyllabis post elisionẽ accẽtus grauis syllabæ posterioris in circumflexũ prioris trãsisse, vt τὰ χρῆς' ἔλιξε, pro τὰ χρῆσα ἔλεξε. Malim tamen χρήσ' ibi quàm χρῆς' scribere. Sed plerunque etiam relinqui sine accentu talia vocabula quæ elisionẽ passa sunt, videmus. Hoc quidem certè mihi nõ placet (quanuis nõ pauca eius exẽpla reperiantur) vt pro τινὰ scribatur τίν', accẽtu in anteriorẽ partem retracto. veluti apud Sophoclem OEdipo tyranno, Πόσον τιν' ἤδη δῆθ' ὁ Λάϊος χρόνον; Ideo autem hæc scriptura non placet, quòd τίς interrogatiuum cum altero confundit.

Quintum, duas elisiones in duabus cõtiguis vocibus, interdum & tres in tribus fieri. Homerus, Ἐνθ' αὖτ' ἀγγελίῃ ἐπὶ Τυδῆ σείλαν Ἀχαιοί. Et paulo antè, Οἵ ῥα τότ' ἐστρατόωνθ' ἱερὰ πρὸς τείχεα Θήβης. Trium quoque elisionum aliquot apud eum exẽpla habemus. Quorum vnum est hoc, Il. ε, Ἐξ ἀνδρῶν, χαλέπ' ἄλγε' ἐπ' ἀλλήλοισι τιθέντες.

Sextum, etiamsi propter sequentem vocalem aspiratam consonans præcedẽs quæ tenuis est, mutetur in aspiratam (di-

cendo καθ' οὗ non κατ' οὗ, pro κατὰ οὗ: & ἀφ' οὗ non ἀπ' οὗ, pro ἀπὸ οὗ: & τοῦθ' ὑπενόουν, non τοῦτ' ὑπενόουν: & ἀνθρωφ' ἱκετεύω, non ἄνθρωπ' ἱκετεύω) quinetiam ambæ consonantes præcedētes quæ tenues sunt, mutentur itidem in aspiratas (dicēdo νύχθ' ὅλην, non νύκτ' ὅλην, pro νύκτα ὅλην: itidémq; τίφθ' ἕτως, nō τίπτ' ἕτως, pro τίπτε ἕτως) non tamen vicissim eam consonantem quæ aspirata est, mutari in tenuem, quòd sequatur vocalis tenuis. Sophocles Electra, ἢ μαθ' ἑξ ἐμοῦ. Ibidē, Πέποιθ' ἐπεί τ' ἂν ὦ μακρὰν ἕζων ἐγώ. Sic in isto Platonis loco, ἐν οἷς τιὼ τε παρθένον ᾠόμεθ' εἶναι τὸ καλόν. In locis tamen nonnullis, ex huius rei ignoratione (vt certè hodiéque multis, à quibus obseruata non fuit, vix digna fide videatur) erratū fuit. vt apud eundem, De leg. lib. 1, pag. 203, Aldinæ editionis, ἡμεῖς δὴ μηδὲν ὀνόματι διαφερώμεθ' αὐτοῖς. Licet enim hîc præcedat θ, subſtituendum non fuit αὐτοῖς in αὐτοῖς, (quo idem significaretur quod ἑαυτοῖς) mutando spiritum tenuem in aspiratum.

Septimum erit illud cuius initio mentionem feci, de vocali η, quam, sequendo

quosdam, adiicere illis oporteret quæ elisionem seu reiectionem patiuntur. Afferunt enim istum Homeri versum ex Il. β, Τλιπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφ' ἐνὶ μεγάρῳ ἐϋπήκτῳ, hîc τράφ' esse pro τράφη scriptum dicentes, elisa per apostrophum vocali η. Sed qui elisionem illam nolunt admittere, Homerum τράφ' haud pro τράφη sed pro τράφε dixisse respondent, id est ἔτραφε, loco τοῦ ἐτράφη. Ac fateor certè Callimachum ita verbo illo vsum esse, hymno in Iouem, Καλὰ μὲν ἠέξευ, καλὰ δ' ἔτραφες ἐράνισε Ζεῦ: sed addo, poetam hunc quædam sibi permisisse quę Homerus sibi permittere ausus non fuerit. Videndum tamen an ἐτραφέτην, quod legitur Iliad. ε, ab ἔτραφον esse dicendum sit, non ab ἐτράφην: quum, grammaticos sequendo, ab ἐτράφην (vnde est ἐτράφημεν, Iliad. ψ) dicendum fuisse videatur ἐτραφήτην: & legatur apud hunc poetam ἔτραπεν dictum itidem pro ἐτράπη, seu ἐτράπετο, vt quidē nonnulli putauerunt: quinetiam Hesiodus passiua itidem significatione dixerit περὶ δ' ἔτραπον ὧραι.

Verùm & aliud elisionis literæ η memini me exemplum obseruasse: nec certè

à ratione alienum videtur, hanc quoque literam alicubi per apostrophum elidi, quum toties apud Homerum ante ἐχ tale quid patiatur : illo in multorũ versum principio his verbis vtente, Ἦ ἐχ ἄλις. vt Iliad. ε, Ἦ ἐχ ἄλις ὅτ' γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις ;

vbi Eustathius dicit esse σωίζησιν duarũ longarum in vnam longam. Eodémque modo legimus Iliad. ι, Ἦ λάθετ', ἦ ἐκ ἐνόησεν, ἀάσατο δὲ μέγα θυμῷ.

vbi scribit idẽ ἦ & ἐκ pro vnica longa haberi. Hanc autem libertatem Sophocles ex Homero mutuatus, dixit itidẽ ἦ ἐ siue ἦ ἐκ per σωίζησιν, pag. 175, & 192. Quinetiam legimus apud Aristoph. in Ranis τὸ μὴ ἐκ in fine versus, ita vt ἐκθλιφθὲν pati hãc literam esse videatur necesse. Sed eius quoque elisionis quæ per apostrophi notam fit exẽplum habemus in quibusdam exemplaribus apud Euripidem & Sophoclem. Nam apud hunc legimus in OEdipo tyranno, -ὥστε μ' ἐκμαθεῖν τοὐμὸν ἦθος. In quibusdam dico exemplaribus: quoniam minimè consentiunt inter se exemplaria, cum aliis in locis, tum verò in hoc. Quædam enim (quibus assentitur

mea editio)habent, ὥστε μὴ 'κμαθεῖν.

Octauum de quo monere debuerant grammatici (nisi sedem minus hac remo tam merebatur)hoc erat: non ita necessariam esse quæ fit per apostrophum elisionem vt alicubi non possit omitti. Multi enim, si hac de re moniti à grammaticis fuissent, multos vitiosè scriptos locos pro integris non haberent. Exempli gratia,quum in ea Homeri exemplaria inciderent omnia ferè quæ meam editionē præcesserunt,in quibus legitur,Iliad.ζ,

Ὣς φάτο. τὸν δ' αὖ ἄνακτα χόλος λάβεν, οἷον ἄκουσε,

apostropho vsum hîc Homerum esse negantes,scribendum contenderent,

Ὣς φάτο. τὸ δὲ ἄνακτα χόλος λάβεν, &c.

quum alioqui primam nominis illius ἄνακτα syllabam esset corripi necesse, quā pro breui passim ab eo atque ab aliis haberi videmus. Et tamen omnes fere editiones (vt dixi) mea priores, τὸν δ' ἄνακτα habēt cum apostropho: quasi quidquis potius quàm denegandus hîc notæ apostrophi esset locus. Quid Omnes ferè dico? Cedo vel vnam quæ de altera illa lectione cum mea consentiat. Nam & in

ea quæ ex officina Adriani Turnebi longè doctiſſ. viri prodiit, legitur, τὸν δ' ἀνακτα. Quinetiam in textu commentariis Euſtathij inſerto: atque adeo apud ipſum Euſtathium, dum ad verſus menſuram non attendit.

Idem verò & de verſu illo dicerent, Iliad. ξ,

Ἀλλ' ἀποπλανέεσιν, ἐρωήσουσι δὲ χάρμης,

nimirum haud bellè ſe habere ſcripturam iſtam, in qua locus datur apoſtropho: quanuis ea duorum etiam α cõcurſus vitetur. Ac certè in Platonis etiã verſum hunc citãtis vulgaribus editionibus non aliter legitur. Et tamen ipſe Homerus ſe hîc illa eliſione minimè vtentem, Ἀλλὰ ἀποπλανέουσι ſcripſiſſe iuraret.

Nec minus iſtum Heſiodi locum,

Θῆτ' ἄοικον ποιεῖσθαι, καὶ ἄτεκνον ἐριδον
Δίζεσθαι κέλομαι,

emendandum eſſe diceret, in mea etiã editione (diſſimulare enim non libet) ſcribendo Θῆτα ἄοικον.

Quinetiam initio Iliadis (ad Homerũ vt reuertar) hanc lectionem,

αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦξε κυσὶν,

minimè auerſaretur: præſertim quum in

quibuſdam etiam locis quorum controuerſa minimè ſcriptura eſt, α ne ante alterum quidem α elidi videamus. Quorũ è numero eſt hic Iliad. ε, Πρὸς χρυσῇ πτερόνῃ καταμύξατο χεῖρα ἀραιῇ.

Nonum eſt, nonnullos eſſe qui poſt quaſdam particulas hanc notam ponãt, quum alii ponendam eſſe negent. Ex his ſunt ἄρ & ἐχ. Sunt enim qui ἄρ' eſſe ſcribendum putent, tanquam eliſa ex ἄρα vocali α: alii ἀρ ſcribere malunt, quaſi vocalis illa ſit adiectitia. Sed huius quidem vocalæ vtraque ſcriptura habere aliquid veriſimilitudinis videri fortaſſe queat: at verò ἐχ cum apoſtrophi nota ſcribere quis ineptiſſimum eſſe negabit? qui quidem conſideraverit primum eſſe οὐκ, ex quo fieri ἐχ, mutato κ in ſuum ἀντίστοιχον: ex illo autem ἐχ fieri etiam ἐχὶ, adiectione literæ ι. Et tamen Moſchopulus in ſua grãmatice vbi de apoſtropho agit, in exemplũ eliſionis vocalis ι, affert ἐχ' ἕπως pro ἐχὶ ἕπως. Ita enim in libro manuſcripto legitur.

Cur verò poetæ hanc per apoſtrophũ eliſionem vbique obſeruarent, quum ne in ſoluta quidem oratione vbique obſer-

uetur? Præsertim verò vbi prima sequẽtis vocabuli syllaba aspiratur. Quo minus dubitandum est quin scribere etiam (exẽpli gratia) νύκτα ὅλλω liceat.

Decimum est, quosdam esse locos in quibus iudicio sit expendendum an elisio ista sit necessaria. De iis autẽ loquor vbi vox aliqua occurrit ex illis in quibus vnam ex tribus vocalibus quæ ancipites dicuntur, modò produci, modò corripi videmus. Siquidem in horum quoque nonnullis fieri potest vt vna lectio alteri nõ absque ratione præferatur. Exẽplum habemus in hoc versu Iliad. β, Ἐμμόναι· αἰ̓χίσος δ̓ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε. nam ferri quidem hæc lectio potest, in qua ε per apostrophum eliditur: verùm considerãdum est, versum cum altera melius, propter dactylum, sonare.

Vndecimum, esse contrà necessariam quibusdam locis, qui tamen nihil minus quàm ea opus habere videntur. Necessariam, inquam, non propter mensurã versus, sed quòd alioqui scriptorem alio vti vocabulo velimus quàm quo vti voluerit. Sic certè quum Homerus verbo ἀρχεῖν vtendum sibi censuerit Il. β, v. 345,

(sicut & alibi eum vti videmus) qui ἄρχευ, non ἄρχευ᾽, adiecta hac nota, scribunt, eum verbo ἄρχεσθαι vti volunt, pro ἄρχειν, contra suam consuetudinem: vt docui in Annotationibus quas subiunxi editioni poetarum qui in heroico carmine principes fuerunt.

Duodecimum, interdum literam τ, vbi per apostrophũ est facta ἔκθλιψις, malè iungi cum voce præcedẽte, quasi ad eam pertineat. Exempli gratia: in editionibus Homeri quæ meam anteceſſerunt, scriptum est initio Iliadis, Στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος, quasi Homerus στέμμα τ᾽ ἔχων pro στέμματα ἔχων dixerit: quum tamen στέμμα paulo pòst ab eo id vocari videamus, ideóque στέμμα τ᾽ ibi disiunctè legere necesse sit. Sed vicissim alicubi hæc litera seiuncta inuenitur vbi quædam exemplaria cum præcedente vocabulo iunctam habẽt. vt Iliad. β, Ἐκπάγλως κοτέοντο νεμέσσηθέν τ᾽ ἐνὶ θυμῷ. nam pro νεμέσσηθέν τ᾽ in quibusdam legitur libris νεμεσσηθέντ᾽, vt sit pro νεμεσσηθέντε, duali locum pluralis occupante.

Eadem litera aliam quoque affert scripturæ diuersitatem, quæ ad hunc de apostropho

ſtropho ſermonem pertinet. Exemplum eius eſt Iliad.α,pag.ſecunda ab initio, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Nonnulli enim ſcribere maluerunt,ἢ γὰρ τόναρ.

Decimumtertium, videndum diligẽter eſſe quibuſdam in locis ne vna vox pro altera eliſionem ſit paſſa: aut ne vnica,quum ambæ pati eam debuerint: aut ne aliqua particula, à cuius fine vocalis elidi ſolet, erroris cauſam præbuerit. Sic hæ literæ ἐπ', tanquam pro præpoſitione ἐπὶ poſitæ,quẽdam Heſiodi verſum multos per annos corruptum tenuerunt: hũc videlicet,Τοῦ δ' ἐπ' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα. Ita enim in Ald.Flor.Gall.Germ.editionibus,mea prioribus, ſcriptus eſt, nullo ſenſu, ac ne ſtante quidem verſu: quũ ſcribi debeat, Τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα.

Decimumquartum,non vltimam prę-cedentis vocabuli ſyllabam interdum eliſam fuiſſe,ſed primam ſequẽtis:vt ἢ 'γαθὴ,pro ἢ ἀγαθὴ:& ἢ 'ρετὴ,pro ἢ ἀρετὴ,apud Euripidem. ſic, apud eundem in Phœniſſis, μὴ 'πλαμβάνου, pro μὴ ἐπλαμβάνου. Et apud Sophoclem OEdipo tyranno, Ὦ ι μή 'σι δρῶντι τάρβος,ὐδ' ἔπος φοβεῖ.pro

μὴ ἐσι. Ibidem, Οὐδ' ἱκόμλω ἐγωγ' ἂν, εἰ μὴ σὺ 'κάλεις. pro ἐκάλεις. Ibidem, Δαιμων ἄμεινον ἢ 'μὲ φρουρήσας τύχοι. pro ἢ ἐμέ. Et in Electra, ἃ 'γὼ pro ἃ ἐγώ. Aristophanes in Equitibus, Ἀλλ' ἄλφιτ' ἤδη σοὶ πριῶ 'σκευασμλύα, pro ἐσκευασμλύα. Et versu vnico interiecto, Καὶ τοῦλον ὀπτόν. μηδὲν ἄλλ' εἰ μὴ 'ὄθιε, pro ἔθιε. Et paulo antè, καί μοι 'δόκει ἡ θεὸς αὐτὴ Ἐκ πόλεως ἐλθεῖν, ἡ γλαὺξ αὐτῆ 'πκαθῆθαι, pro ἐδόκει & ἐπκαθῆθαι. (Sic etiam ὦ 'ναξ pro ὦ ἄναξ.) Ac multo certè maior huius elisionis vsus apud iambicos quàm epicos poetas. Nam & in epigrãmate Crinagoræ iambis scripto, Anthol. lib. 4, pag. 330, ὦ 'πίβελε, pro ἐπίβουλε. Estque alia elisio & statim póst. At verò in epigrammatis quæ hexametris & pentametris sunt scripta versibus, rara sunt huius ἐκθλίψεως exẽpla.

Eius est vsus in soluta quoque oratione, præsertimque in dialogis: non tamen omnibus in locis vbi à poetis illis adhibetur. Est certè ὦ 'γαθὲ pro ὦ ἀγαθὲ vnũ ex iis quæ in ea quoque dicuntur: & ποῦ 'σι, vel ποῦ 'σι (diuersa enim hîc scriptura est) pro ποῦ ἐσι.

Decimumquintum, interdum vnum idémque vocabulum duas elisiones pati, vnam in principio, in fine alteram. Sic in Crinagoræ epigrãmate, cuius antea mẽtionem feci, Οὐκ ἔ' ὃ' ὁ λύσων· μὴ 'λεεῖν' ὑπόβλεπε. pro ἐλεεινά. Sic apud Aristophanem 'ς' pro ἐς: in Ranis, Dionysus quærit Πῇ πῇ 'ς'. respõdet autem Xanthias, Ὅ'πισθεν. Vbi obserua simul id de quo antea quoque monui, elisionem interdum in fine sententiæ fieri.

Decimũsextum, nõnulla esse in quibus sine periculo vtrauis elisio fieri possit: vt ὥρα 'στὶν, vel ὥρ' ἐστίν. Itẽ, malè interdũ collocatã inueniri apostrophi notam ad elidendam vltimam præcedentis quum potius elidenda sit prima sequentis: vt in Aristophanis Equitibus, Κἀ'γωγ' ὅτε δὴ' ἤγνων τοῖς βολίτοις ἡτ'ημῶς. pro ὅτε δὴ ἤγνων.

Decimumseptimũ distingui debere elisionem quæ fit per apostrophum ab ea quam facit crasis: & cauendum ne vna locum alterius occupet. Quod certè cum apud alios tum apud Aristophanem aliquot locis contigisse videmus. vt in Concionantibus, Κατὰ χολὼ παρά τ' ἀνδρὸς

ἐξελθεῖν μόνη. nam παρά τ' ἀνδρὸς idem valeret quod παρά τε ἀνδρός: quum Aristophanes intelligi velit παρὰ τοῦ ἀνδρός: ideóque scribi debeat παρὰ τἀνδρός: vt etiam τἀνθρώπου pro τοῦ ἀνθρώπου. Talis error est in eiusdē Nubibus, Εἰ δ' ὧν χαμαὶ τ' ἄνω κάτωθεν ἐσκόπουν. nam τ' ἄνω est pro τε ἄνω, quum tamen Aristophanes τὰ ἄνω intelligat, ideóque τἄνω scribēdum sit. Multum autem interest, quod ad syllabariam quantitatē attinet, vtra scriptura talibus in locis vtaris: quum scribēdo τ' ἄνω, maneat α breue in ἄνω: at verò si scribas τἄνω per crasin, α ex breui longum reddatur. Sic certè scribendo τὰ κείνου siue τὰ κείνων, breue est τά: contrà autem, longum, si τἀκείνου siue τἀκείνων scribas: vt initio mearum in Sophoclem annotationum ostendi, de peruersa superioris temporis editionum scriptura admonens. Sic profectò Anthol. epigr. lib. secūdo, titulo εἰς φειδωλούς, perperam legitur in editionibus quæ meam præcesserunt, in fine versus, οἱ δὲ τἀκείνῳ, pro οἱ δὲ τὰ κείνῳ, vt τὰ sit breue. Putet aūt aliquis τἀ κείνου, scribēdū præfixa illi genitiuo apostrophi nota, quæ elisionē literæ ε indicet: sed

omittere, hanc præstat, quia κεῖνος, sicut & ἐκεῖνος, in vsu, apud poetas præsertim, esse scimus. Quum tamen scribitur τἀκείνου per crasin, illius ε ratio habetur: quòd α & ε per crasin in α longum coalescant. Idem dicendum & de τἀμὰ ac τὰ᾽μά. nam in τἀμὰ longa est prior (vt Anthol. epigr. lib. 2, -τἀμὰ δὲ σώτομά σοι) at verò in τὰ᾽μὰ breuis esset.

Decimumseptimum, esse etiam vbi & elisio per apostrophum & crasis sine vllo discrimine locũ obtinere possint: atque adeo nõnullis in locis quædã exemplaria hanc, quædam illam habere. Exemplum inuenies apud Aristophanẽ in Ranis, μὴν & μὴ᾽ν (hoc in versu, Μάλιστα μὲν λέοντα μὴν πόλει τρέφειν) Itidémque in Anthol. epigr. pag. 94, μὴν δίκα, vel μὴ᾽ν δίκα. Sic in τοὐμοῦ & τοῦ᾽μοῦ: τοὐφεσίου & τοῦ᾽φεσίου: (sic tamen vt τοὐμοῦ & τοὐφεσίου frequentiorem esse scripturam existimem) necnon aliud apud Sophoclem in OEdipo tyrãno. nam ὀὐπιχώριοι scriptum est pag. 194, quum in quibusdam libris οἱ ᾽πιχώριοι legatur: quæ scriptura & in Aristophanicis extat Ranis, Πῶς ἐνθάδ᾽ ἄρα κόπτουσιν οἱ ᾽πιχώριοι; Verùm si nominatiuus scri-

bendus sit, tum vnicus scribendi est modus, ὑπερχώριος: vt ὑπίτριπτος, pro ὁ ἐπίτριπτος.

Decimumnonum, fidem illis grammaticis esse derogandã qui eam per apostrophum fieri elisionem volunt, quæ ne crasi quidem accedente fieri potest: siue Moschopulũ, siue alium quempiam hac in re autorem sequantur. Apud illum enim, vbi apostrophum pro quatuor vocalibus poni tradit, legimus exempla duo posiți pro vocali ο: quorũ vnum est, ἀλλ' ἐμὸς pro ἀλλ' ὁ ἐμός. Ita enim in eius grãmatices exemplari manuscripto legitur. Nec certè alioqui exemplum istud habere hîc locum posset, quum afferatur non ad ostendẽdam elisionem vocalis α (quã ostenderet, si, cum cæteris, pro ἀλλὰ ἐμὸς poni diceret) sed vocalis ο. Dixi autẽ ne crasi quidẽ accedẽte fieri posse: quoniam etiamsi scriberetur ἀλλ' ἐμὸς pro ἀλλ' ὁ ἐμὸς, tamen nihilo magis vocalis ο per apostrophum dici posset elidi.

Vigesimum, multis non probari nec omnium certè exemplarium autoritate comprobari morem illum superponendi apostrophi notam diphthongo ου

in compositis, cuiusmodi sunt, προυχώρει, προυθυμεῖτο, προυβίβαζε, προυφαινε, προυδωκε, προυβαινε, προυβη, προυσήτιω. Ac certè aduersus hanc scripturam afferri hoc posse videtur, quòd quum integra scribuntur, προεχώρει, προεθυμεῖτο (&c.) nota illa minimè superponitur. Qua ratione, nec verbo προύχω, eiúsve participio πρόχων, nec nomini πρεσβυς superponenda esse dicetur: quum προέχω & προέχων nec non πρόσβυς absque illa scripturi simus. At verò aduersus hanc scripturam πρόρρου nequaquam valere ratio illa posset: quum sit non pro προέρρου (quod nunquam fando auditum est) sed pro πρὸ ἔρρου. Idem verò & de similibus dici putādum est.

Vigesimūprimū, animaduertendā esse latentem in quibusdam nominibus compositis elisionem non tantùm vocalis (vt fit per apostrophum) sed etiam consonantis quæ illam sequitur. Exempli gratia, si vacuos tumulos in versu Græco significare velles, dicere posses κένοι τάφοι: at si Vacuum tumulum dicere velis composita voce κενοτάφιον vti cogeris. Cui omnino similis est ὀλιγοτάφιον, pro ὀλίγον τάφον: vt il-

la, pro κενὸν ἡρίον.

Vigesimum secundū fuerit (nisi potius primum omnium esse debuit) de quo lectorem commonefaciendum fuisse dico: ne, cum vulgo, Apostrophum masculino genere efferat, quum Græci & grammatici & scholiastæ τὸν ἀπόστροφον dicāt: siue ad προσῳδίαν in illo vocabulo (sicut in aliis quorum antea mentionem feci) siue ad aliud, quod fœminei sit itidem generis, respiciant. Cui tamen sapere vltra quosdam grammaticos & vltra vulgaria lexica, religio est, ei per me Apostrophū masculino efferre genere licebit.

Sed quidni & Vigesimūtertiū addatur? Qua de re? De huius appellationis ratione. Addi certè deberet: sed vereor vt suprà dictis, quorū pleraque ex obseruatione habeo, id quoque adiicere liceat, quod ex diuinatione tantùm habere me fatendum est. Imò verò hāc, perinde acsi liceat, adiiciens, dico, hanc notam vocari Apostrophon (quasi quis Auersoriam no tam dicat) quoniam præcedens vocabulum à sequente auertit, cum quo alioqui iungi videri posset. Exēpli gratia, si ἀλλ' ἐγὼ scribas, non posita post λλ nota illa,

videri queant duæ voces in vnã coniungi. Si excipias, ſpiritum voci ἐγὼ ſuperpoſitum impediturum quominus id aliquis exiſtimet: ad hoc reſpondeo, morem priſcorum tibi ſuprà declaratum fuiſſe, quo ſpiritum in medio etiam vocabuli ponebant: vt in παράλος, ὕφαλος. Si igitur quiſpiam παρὰ ἀλὸς ſignificare volens, non tamẽ cum apoſtropho παρ' ἀλὸς ſed abſque illa, παρ ἀλὸς ſcripſiſſet, periculum erat ne vnum pro altero acciperetur, non animaduertendo id diſcrimen quod accentus efficit. Verùm inueniri aliæ poſſunt voces in quibus maiore etiam cum periculo, quàm in iſta, omiſſa hęc auerſoria nota fuiſſet.

Sicui tamen parum illa mea diuinatio placebit, videat an magis placere poterit quod diuinauit Budæus (niſi fortè aliundè habet) dici ἀποστροφον quòd auerſa ſit ἀπὸ τῆς δασείας.

Adeóne multa de apoſtropho dicenda erant? Dicenda certé. nam eſſe neceſſaria, ipſa te experientia docebit. Atque adeo ſi legas quandam meam annotationem (quæ eſt inter adiectas editioni poetarum Heroici carminis principum) in iſtum Heſiodi verſum, Νεῶ δὲ

ἐγὼ μήτ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος, magis etiam miranda audies quàm quæ ex quorundam ad apostrophũ pertinentium ignoratione contigisse dixi. Nam quum editiones mea superiores haberent, Νῦν δ' ἐγὼ &c. facta per apostrophum elisione, hoc errore deceptus Ceporinus (aut quicunque paruum tractatum scripsit de ratione carminum Græcorum, annotationibus illius subiunctum) sibi persuasit in ἐγὼ literam ε ministerio literæ δ adiutam produci. Atque vt hîc elisionem adhibitam fuisse, falsò existimauit, atq; hoc illum in istum errorem impulit: ita vicissim non fuisse adhibitam putans hoc in versu eiusdem poetæ, Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμα ἐγχώριον ἄλλο γένηται, (vbi tamen ea vtẽtem Hesiodum, scripsisse constat, Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται) dicit hîc γ natura esse ν, (conflari enim ex ἐν & χώρα) liquidã autem cum alia consonante sequente, quandoque præcedentem vocalem breuem nihil impedire positione. Hæc ille, errato librariorum patrocinans, dum se Hesiodo patrocinari credit.

Quinetiam ignorationem crasis (cuius aliqua exempla attuli) valde pericu-

losam esse, vel illius docti alioqui viri exẽplo discere potes, quem adeo fœdè in sua de οὐπίτριπος diuinatione lapsum esse, in præfatione mea ostendi.

Apostropho plerique alia duo πάθη subiungunt, (dico autem alia duo πάθη, quòd Apostrophus quoque dicatur πάθος, potius quàm προσῳδία, vt antea monui) Hyphen & Diastolen.

Ac primùm quidem, quod ad Hyphẽ attinet, (pro quo quidam Latinè Subunionem dixerunt) sciendum est, hoc hyphen malè scribi passim per hyphen: (vt vulgus loquitur) quum scribi debeat discrẽtè ὑφ' ἓν. Nã sciendũ est, ὑφ' ἓν breuitatis causa dici pro ὑφ' ἓν μέρος λόγου, id est Sub vna orationis parte: vt docui in meo De abusu linguæ Græcę libello. Sic apud Homerum pro ὄφρ' ῥέοντος quidam ὑφ' ἓν scribunt εὐρυρέοντος, facientes in hac scriptura vnicam orationis partem, quum in altera sint duæ. Sic etiam pro κακ' ὀσόμενος quidam ὑφ' ἓν scribunt κακοασόμενος, Iliad. libro primo. Sic apud Virgilium *antemalorũ* veteres ὑφ' ἓν legerũt. Sed quãdam notulam tam Græci quàm Latini

Non dicendum per ὑφ' ἓν. Ego enim abusum dam. Vide pag. 80. De abusu Ling. Græcæ.

pag. 79.

(fortasse non eandem) huiusmodi locis adhibebant: cui etiam appellatio illa Hyphen à nonnullis data fuit. Eius figuram alii hanc ⌣, alii verò istam ⏑ esse putarũt. Vulgo tamen nec alterutram harum notularum nec aliam huiusmodi habemus his vocabulis, ὁστιῳοῦν, ὁποιῳοῦν, ὁποιοστιῳοῦν, ὁπωῳοῦν, ὡςπερουῦν. Nihilóq; magis istis, ὁστιςδή, ὁποιοςδή, ὁποιοςδήποτε, ὁποιοςδηποτοῦν. Sic etiã καθαπερεὶ & ὡςπερεὶ, necnon ὡςπερανεὶ absque vlla huiusmodi nota scribit solet. Quæ si ponenda vbique esset, interdũ in diuersis eiusdẽ vocabuli collocaretur locis. vt in ὡςπερανεὶ, post ὡς, post περ, post ἄν: sic in ὁποιοςδηποτῆν, post ὁποῖος, post δή, post ποτ', hoc modo, ὁποῖος⏑δὴ⏑ποτ'⏑οῦν. nã tũ minimè omittere accẽtus. hæc enim accentuũ omissio illius notæ loco esse videtur. Si tamen quis duo vocabula quæ ad vnã pertinerent eandémque orationis partẽ, scribenda seu legenda ὑφ' ἓν esse diceret, vt παςίφιλος & παςιφίλα, pro πᾶςι φίλος, & πᾶςι φίλα. tum καταχρηςικῶς diceretur ὑφ' ἓν μέρος λόγου, & aptius cum ὑφ' ἓν sub audiretur ὄνομα vel ῥῆμα, accipiendo vtrunque pro vocabulo, non pro certa o-

rationis parte.

Sed apud Eustathium tamen alicubi ὑφὲν legimus: & quidem etiam præfixo articulo ἡ, pag. 1465 editionis Romanæ. Nam τὰ πάθη (vtitur enim & ipse hac appellatione) communem posse syllabam efficere negãs, ea esse dicit τὴν ἀπόστροφον, & τλὼ ὑφὲν, & τλὼ ὑποδιαστολὴ.

Illis autem ex Homero allatis exemplis adiici queant & hæc, κορακοςπέτρη, & μεγαλημπόλις: sed talia ita scripta, videri duriora possint: ac certè malim, seruato vtrobique accentu, altera earum notarũ, quas dixi, aut alia quapiam vti: hoc modo, κόρακος πέτρη, & μεγάλη πόλις. Legitur autem illud Iliad. ν, in fine, αἳ δὲ νέμονται Παρ κόρακος πέτρη, ὅθι τε κρήνη Ἀρεθούσης. vbi Eustathius annotat, ὑφὲν δὲ τίθεται ἐν τῷ κόρακος πέτρη, & rationem addit, quòd tanquam proprium nomen sint illæ voces: sicut μεγάλη πόλις (inquit) ἡ ἐν Ἀρκαδίᾳ. Sed in nominibus quæ ab his aliisque huiusmodi deducuntur (quæ dici ἐθνικὰ solent) magis seruatur hæc scriptura quàm in primitiuis: sic tamen vt aliqua immutatio & interdum deprauatio quoque fiat. vt quum ex κόρακος πέ-

τρα fit κορακοπετρίτης, vel κορακοπέτραος: ex μεγάλη πόλις fit μεγαλοπολίτης. Sed pro ὑφ' ἓν legimus etiam κατὰ συμπλοκήν. in Eustathii quidē certè indice illud per hoc exponitur.

Verùm de alio quoque vsu harum vocalarum ὑφ' ἓν, à pauciſſimis (vt opinor) obſeruato, lector eſt commonefaciēdus. Sciendum eſt igitur, quum nos iubet hic ſcholiaſtes aliqua ὑφ' ἓν ἀναγνώσκειν vel ὑφ ἓν (nam hæc quoque ſcriptura apud eū extat: ſed indigna fortaſſe cuius fiat mentio) nolle ita coniungi vt vnicam orationis partem efficiant, ſed à nobis conſiderari tanquam eôdem pertinentia, & ita vt vnum ex altero pendere dici poſſit. Sic Iliad. λ, in hoc verſu, Τοξότα λωβητὴρ, κέρα ἀγλαὲ παρθενοπῖπα, vult nos ὑφ' ἓν ἀναγνώσκειν (ſed ibi dicit νοεῖν) τοξότα λωβητήρ: & non aliter intelligere quàm ſi dictum fuiſſet ὦ φαῦλε τοξότα. id eſt, ὦ ἀχρειῶν τὼ τοξικώ. quaſi ὦ λωβητὰ τῆς τοξικῆς τέχνης. Quinetiam tria illa quæ ſequuntur vocabula, κέρα ἀγλαὲ παρθενοπῖπα, quoſdam ὑφ' ἓν ἀναγνώσκειν dicit, exponentes κομῶν ὅτι τῷ παρθένους ὑπάγεδαι. Idem in hunc verſum libri γ,

Iliadis, Διὸς παρὶ εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς, ἠπεροπευτὰ, annotat, quosdam hęc duo vocabula, εἶδος ἄριστε, legere ὑφ' ἓν, cum illa voce γυναιμανές: hoc sensu, εἶδος ἄριστε ἐπὶ ἔρωτι ἢ ἀπάτῃ γυναικῶν. ideóque subiungere, ἠπεροπευτά. quo significatur ἀπατεών.

Occurrunt autem nonnulli loci non apud cæteros tantùm poetas, sed & apud solutæ orationis scriptores, in quibus ea quæ vulgus separanda putat, contrà ὑφ' ἓν legi fortasse debent. De hoc certè Pauli apostoli loco σώφρονας, ἁγνὰς, οἰκουροὺς, ἀγαθὰς, tale esse meum iudicium docui in meis Schediasmatis: illud οἰκουροὺς ἀγαθὰς eadem loquēdi forma dictum existimans qua dixerit Homerus ἀγαθὴ κουροτρόφος. Nisi fortè aliquis inueniatur, qui hîc ἀγαθὴ cum κουροτρόφος iungi negare audeat.

Diastole contrà, quæ coniungenda videri possent, disiungit & separat: atque hæc ea nota quæ vulgo (præsertimque apud typographos virgula appellatur, indicatur. veluti quum ὅ,τι scribitur, ad differentiam aduerbii ὅτι: item τό,τε: vt hoc

discrimine ab aduerbio πότε distinguatur. Itidémq; ὅτε ab aduerbio ὅτε distingui dicendum est. Sic certè ἄ,τε alicubi scribere necesse est, ne quis decipiatur, esse aduerbium ἄτε existimans.

Sunt qui Diastolen interpretẽtur Disparationem, sunt & qui Distinctionem. Fortasse autem qui Separationẽ dicet, & simplicius & non malè interpretabitur. Nam χωρισμὸν quidã pro eodem dixerũt.

Malè autem à quibusdam traditur, Diastolen esse notam quæ coniunctas vocales disiungit, vt παΐς. huic enim notæ aliud dandum esse nomen, in sequentibus ostendam.

Sed nec interpunctioni (quæ vulgò distinctio dicitur) hoc nomen nonnulli rectè dedisse, dici fortasse possunt: quanuis scholiastæ occasionem illis præbuisse videantur, vt paulo pòst docebo.

Quidam id quod Diastolen vocari dixi, Hypodiastolen appellarunt: ex quibus est Eustathius, tum alibi, tum pag. 1465, vbi esse dicit τῆς λέξεων χωρισμόν. Perperam verò à quibusdam hoc discrimen inter Diastolen & Hypodiastolen statuitur, vt Hypodiastole quidem id sit quod Diasto-

Diastolen esse dixi: at verò Diastole sit nota illa quæ in πάϊς ponitur, ad separandas vocales quæ alioqui malè iũgerẽtur. Eos autem quos Diastolen de interpunctione vsurpasse modò aiebam, sciẽdum est Hypodiastolen quoq; de illa dixisse: quibus quoniam scholiastas occasionem præbuisse addidi, duos vnius illorum locos considerãdos proponam. Eustathius igitur in hunc versum Iliad.θ, Πῆ φεύγεις, μετὰ νῶτα βαλὼν κακὸς ὡς ἐν ὁμίλῳ, hæc scribit, σημείωσαι δὲ ὅτι τοῦτο καὶ εἰς παράδειγμα κείσεται ἀναγκαίας ὑποδιαστολῆς, βελτιούσης λόγου διάνοιαν. εἰς γὰρ τὸ φεύγεις, ἐξ ἀνάγκης τεθήσεται ὑποδιαστολή· ἵνα μή τις νοήσῃ, πῆ φεύγεις με· εἶτα ἐπιφέρῃ, τὰ νῶτα βαλών. Idem enarrator in istum versum Iliad.τ, Καί ῥ' οἵπερ τὸ πάρος γε, νεῶν ἐν ἀγῶνι μάχεσκον, scribit exemplum hîc esse vsus diastoles: ne videlicet γ νεῶν pro γε νεῶν dicatur. simúlq; & alia exempla affert. Sed quare erroris occasionem præbuisse hũc & cæteros suspicor illis quorũ facta paulo antè mentio fuit? Quoniam hæc ὑποδιαστολῆς nota eadem planè est cum ea qua ad interpungendum vtimur, vbi videlicet non τελείαν στιγμὴν, sed tantùm ὑποστιγμὴν

collocare volumus. Ac certè hoc ipsum quod ὑποστιγμὴν voco, quidam ὑποδιαστολὴν alio nomine dici posse crediderunt.

Idem verò πρὸς διαστολὴν sæpe dicit, significare volens quod vulgò dicitur Ad differentiam. id est, Vt differentia ponatur, seu discrimen. Veluti quum scribit ῥίπην vrbem βαρυτόνως vocari, πρὸς διαστολὴν τῆς ῥιπῆς quod exponitur ὁρμή. Sic etiam βαρυῶσθαι Ὄρθη, nomẽ vrbis, πρὸς διαστολὴν τοῦ ἐπιθέτου. Item Ἄλην pro vrbe vnico λ scribi, πρὸς διαστολὴν αὐτωνυμίας ἄλλης.

Ad illos autem vt redeam qui Diastolen in παῖς esse dicunt, eos Diastolen vsurpare sciendum est pro eo quod διάλυσις appellari solet. Idem certè quod in παῖς, spectatur in ἀρχεῖος, pro ἄρχειος. quã διάλυσιν Æolum esse quidam tradũt: Eustathius autem διάσασιν quoque hoc appellat.

Orationis partes sunt octo. Pag. 5. parte priori.

Scitu dignissimum & paucis tamen, vt opinor, est notum, στοιχεῖα in arte grãmatica non tãtùm literas significare (vt La-

tini,illius appellationis imitatione, Elementa eas vocarũt)sed & Orationis partes eo ipso nomine appellatas fuisse. Ita certè Dionysius Halicarnasseus initio sui περὶ συνθέσεως ὀνομάτων libri appellat,addens τῆς λέξεως. Eius verba sunt,Ἡ σωθεσις ἐστὶν,ὥςπερ καὶ αὐτὸ δηλοῖ τοὐνομα, ποιά τις σωθεσις παρ' ἄλληλα τῶν τοῦ λόγου μορίων· ἃ δὴ καὶ στοιχεῖα τινὲς τῆς λέξεως καλοῦσι. Vbi (vt de hoc obiter monearis) pro παρ' ἄλληλα scribo παράλληλος. etiamsi aliquãto pòst rectè scribatur, θεῖναι τά τε ὀνόματα παρ' ἄλληλα. Quanuis autem στοιχεῖα τῆς λέξεως dicat,tamen & στοιχεῖα τοῦ λόγου rectè vocaueris: sicut & ipse μόρια & μέρη τῆς λέξεως appellat,quę etiam μόρια τοῦ λόγου vocauit. Sed & στοιχεῖον absque adiectione dicit:vbi scribit, ἕτεροι δὲ καὶ τὰς ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων,ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν.

Iure profectò partes quoque orationis appellationem Elementorum sibi vindicant:quoniam vt literæ sunt elemẽta vocabulorum, ita quæ vocantur partes orationis, sunt huius elementa. Est tamen tam infrequens hoc nomen στοιχεῖα hac de re, quàm alterum est frequens. Sed

nō minus μόρια quàm μέρη vocet, & modò τοῦ λόγου, modò τῆς λέξεως addat, cæteri potius μέρη quàm μόρια appellant, & τῷ λόγου potius quàm τῆ λέξεως adiungūt.

Verùm de numero partium orationis iamolim magna fuit controuersia, vt ex eodem discimus: scribente, Theodecten & Aristotelē, aliósque eiusdē ætatis philosophos, tres tantùm constituisse, ὀνόματα, ῥήματα, συνδέσμους. Eorum posteros, ac præsertim Stoicos, quatuor statuisse, quòd ἄρθρα (id est Articulos) separarent ἀπὸ τῶν συνδέσμων. id est à Coniunctionibus. Recentiores autem τὰ προσηγορικὰ distinguētes ἀπὸ τῶν ὀνοματικῶν, quinque posuisse. Quosdam denique quum ἀντωνυμίας quoque, (id est Pronomina) seiungendas ducerent ἀπὸ τῶν ὀνομάτων (id est à Nominibus) vsque ad senarium numerum peruenisse. Postremò fuisse qui & Aduerbia à Verbis, & Præpositiones à Coniunctionibus separauerint, & Participia ab illis quæ προσηγορικὰ nominabant. Imò non defuisse qui maiorem etiā numerum partium orationis fecerint, alias diuisiones statuendo.

Hoc quidem certè verisimile est, eos

qui tres tantùm orationis partes ſtatuerent, Nomina, Verba, Coniunctiones: ad eãdẽ cũ nominibus claſſem ea quę ad illa pertinent, & quandam cum illis commu nionem habent, reducenda cenſuiſſe, atque adeo reduxiſſe, Articulos videlicet & Pronomina: ſic Participia ad Verba (quòd illa ſint ab his oriunda) ſic Præpoſitiones & Aduerbia ad Coniunctiones: quòd illis quoque ad coagmentationem orationis vtamur. Quum tamen ſcribit Dionyſius, fuiſſe etiam qui à Verbis Aduerbia ſecreuerint, eos hæc ſub illis comprehendiſſe oſtendere videtur.

Sed de hoc moneri lectorem, non parui refert: eos etiam qui alioqui de numero partium orationis inter ſe conſentiãt, de omnibus vocabulis quæ ad vnam earum, Pronomẽ videlicet, reducenda ſint, minimè conſentire: vt docebo quum ad illam peruentum fuerit.

Articulus præpoſitiuus, ὁ, τῶ, τῷ, &c.
Pag. quinta, facie poſt.

Interdum articulus hic accentum accipit, & quidẽ vel ob particulam γε, ſiue τε, illi adiunctam, & cum illo cohærẽtem:

vel quòd pro ὃς accipiatur. Sed hunc posteriorem vsum apud poetas tantùm habet: (ac meritò dubitauerit etiam aliquis an hac in significatione sit articulus prępositiuus, & non potius postpositiuus, qui literam σ amiserit) at prior ille in soluta quoque oratione est frequentissimus. illic enim passim ὅγε & οἵγε, necnon ὅτε & οἵτε legimus. Sic in fœminino genere ἥτε & αἵτε. Fuerunt autem quibus inter articulum & particulā (præsertim τε) interiicere placeret quā vulgò virgula appellamus: atque adeo in Aldina Platonis editione & aliis quibusdā libris ab eo editis inuenies ὅ,τε, & οἵ,τε, necnō αἵ,τε. Sed tamē nō video quomodo in οἵτε, & αἵτε, æquè ac in ὅτε, necessaria videri queat. Nā in ὅτε poni vitādæ ambiguitatis causa dici potest: discernēdo hūc articulū ab aduerbio temporis ὅτε: sicut & τό,τε scribitur vt ab aduerbio τότε distinguatur.

Vide pag. 95. lin. 24.

Quòd si inter articulum prępositiuum οἵτε & postpositiuum οἵτε (quo significatur Quique, id est Et qui) differentia scripturæ ponēda est, mihi magis placeat, articulum, vbi postpositiuus est, disiunctē: vbi præpositiuus, coniunctè scribi. Idque

hanc ob rationem, quòd postpositiuus, etiam quum seorsum ponitur, accentu notatur: at præpositiuus, ibi demum vbi illæ particulæ encliticæ vel alia sequitur. Idē verò de ἥτε & αἵτε dicendum esset.

Nam & sequente particula με vel σε (exempli gratia) inuenitur itidem articulus præpositiuus accentu notatus: verùm non itidem coniuncta cum articulo hac vel illa particula. Sic in Antholog. epigr. pag. 206, Θάψεν ὅ με κτείνας κρυπτὸν φόνον. Sic verò & apud Theognin, Οἵ με φίλοι προύδωκαν. item, Οἵ με φίλοι προδιδοῦσι. In quibus tamen Theognidis locis non iungitur articulus participio, vt in illo Anthologiæ, ὅ με κτείνας: sed verbo (quod rarissimum est, ideóque simul diligenter obseruandum) οἵ με φίλοι προύδωκαν, & προδιδοῦσι, pro προύδωκαν & προδιδοῦσί με οἱ φίλοι. vel προύδωκαν & προδιδοῦσιν οἱ φίλοι με. Fortasse autem alia etiam scriptura locum in his aliisque huiusmodi locis habere posset: nimirum ista, ὁ μὲ κτείνας, &, οἵ μὲ φίλοι προύδωκαν, vel προδιδοῦσι.

Cæ autem pro ὃς, poetis duntaxat est in vsu: potiúsque crediderim esse postpos-

tiuum articulum hac in significatione,& dici ὁ pro ὅς,amissa litera σ: quàm præpositiuum postpositiui locum accipere.

Quum autem dicitur ὁ μὲν, ὁ δὲ, in aliam quodammodo naturam transit hic articulus, aliúmque vsum accipit. Perinde enim est acsi Latinè dicas,Hic quidẽ, ille veró. Sic οἱ μὲν, οἱ δὲ,Hi quidem, illi veró.(pro quo etiam τινὲς μὲν, τινὲς δὲ,dicitur) Itidémque in fœm.gen. ἡ μὲν,ἡ δὲ: & plur. αἱ μὲν,αἱ δέ. Sic in neutro, τὸ μὲν, τὸ δὲ:& τὰ μὲν, τὰ δέ. Sic etiam τοῦ ac τῷ suam articuli naturã vix dici possunt retinere, quũ pro τίνος & τίνι more Attico ponuntur:itidémque του & τῳ, per enclisin accentum amittentia, pro τινὸς & τινί. Sed & autor huius grammatices cum de hac re tum de aliis ad articulum pertinentibus tractat infrà, sumpto principio à pagina 112.

Nominatiuus & accusatiuus τό. Ibidẽ. nam N.& Ac.hoc significant.

Magnus est articuli τὸ vsus in fœminino etiam genere: & quidem adeo magnus vt verear ne fallantur grammatici

vbi ſcribunt, hæc quatuor nomina, γωνὴ, ὁδὸς, πόλις, χεὶρ (nam plura non enumerant) in nominatiuo & accuſatiuo dualis numeri eſſe generis maſculini: quum dicitur τὼ γ ωνᾱ́κε, ὁ δὼ, πόλιε, χεῖρε.

Quid dico me vereri quin fallantur ea in re grāmatici? Imò verò affirmari hoc poteſt. alioqui certè non illa tātùm quatuor nomina, ſed quamplurima, & penè dixerim omnia, maſculini generis eſſent in nominatiuo & accuſatiuo duali. Sic enim apud Xenophontem τὼ ἡμέρα, apud Platonem τὼ φύσεε, apud Iſocratem τὼ πόλεε, apud Lucianum τὼ τέχνα, necnon apud Platonem, legitur. Quinetiam τὼ τέχνα eodem dictum modo inuenitur.

Verùm Atticorum proprius eſt hic articuli τὼ vſus: & quoniam communis lingua hunc Atticæ vſum non cum multis ſed cum paucis duntaxat imitata eſt nominibus (vt oſtēdi, quum de dialectis tractarem, communem linguam in aliis etiam locis quaſdā Atticorum circa multa vocabula licētias, vt ita loquar, ad pauca reſtringere) illa duntaxat obſeruarūt: & quidem ita vt ſola eſſe exiſtimauerint. quum potius dicendum eſſet, Atticos ar-

ticulum τὸ masculino genere efferre cũ pleriſque nominibus:) at linguam communem cum certis quibuſdam dũtaxat, & quidem paucis, hoc ſibi permittere. De nullo autem horum paucorum magis quàm de χεῖρε conſtat.

Verùm & hoc ſciendum eſt, Atticos non ita hoc articulo vti cum nominibus fœmininis, vt altero, qui eſt τὰ, prorſus abſtineãt. Nam Iſocrates in vno eodémque libro (qui Panathenaicus inſcribitur) non ſolùm τὸ πόλεε τούτω, ſed etiam τὰ πόλεε ταύτα dicit.

Facit autem pro me in eo quo dixi falli grammaticos, vſus articuli τϐ, (ſed pro τινὸς) maſculino itidem genere. vt apud Sophoclem & Euripidem. Nam hic τοῦ cum δόξης, ille cum σάλπιγγος iunxit. hos enim poetas dicemus ſcilicet nomina iſta maſculino genere efferre voluiſſe.

Verùm & in ſoluta oratione quidam ita genitiuo illo vſi ſunt. Nam legitur apud Syneſium, ἀπὸ μιᾶς γε τϐ συμφορᾶς.

Subiunctiuus, M. N. F. ὅς, ὅ, ἥ. Ibidem.

Sunt qui hanc voculam, non ſubiunctiuum articulum, ſed ἀντωνυμίαν ἀναφο-

ρικῶν (id est pronomen relatiuum) appellauerint. Qua de re dicturus sum in Pronomine.

Quemadmodum autem in articulo præpositiuo dictum est οἱ μὲν, οἱ δὲ, interdum, pro τινὲς μὲν, τινὲς δὲ, (eadémque est & singularis ratio) vsurpari: ita & de hoc dici potest: sed illius quàm huius multo frequentiorem vsum esse sciendum est.

Quæ nomina sunt primæ declinationis? Masculina, in ας, ης, Pag. 6. parte pr.

At quidam alii (quorum è numero est Clenardus) scribunt hãc declinationem partim masculinorum, partim communium esse. vt ὁ ἡ γραμματικὸς. Sed ego exẽplũ desidero: semperque, vt opinor, desiderabo. Quid autem hîc Antesignanus? Hoc sui Clenardi exemplo contentos esse lectores iubet. Nullum enim aliud nomen primæ declinationis reperiri ait quod sit communis generis. Essem certè & ipse hoc vno contentus, si vsquã reperiri putarem: sed id mihi nullo persuadere modo possum. Ac, quum hoc non nunc primùm in dubium vocatum fuerit, (& qui-

dem ita vt in editione grammatices Clenardi quæ ex officina patris mei prodiit Parisiis, pro *partim masculinorum, partim communium*, legatur duntaxat *masculinorum*) valde miror, quēdam, qui grammaticen non ante multos annos edidit, hoc, tanquam minimè controuersum, in ea quoque extare voluisse.

Qui autem, reclamantes & ipsi iis quę à Clenardo & à quibusdam aliis traduntur, fœminina nō in ης sed in α vel τις desinere scribūt, (vt à masculinis ὁ δικαστὴς & πολίτης sunt fœminina ἡ δικάστρια & πολῖτις) obliti sunt terminationis in τρις, quæ est in αὐλητρίς: cuius masculinum est αὐλητής. Atque adeo sunt obliti, eodem modo ex illo de quo nunc quęstio est λῃστὴς, deductum esse fœmininum λῃστρίς.

Quum igitur ne illud quidem nomen λῃστὴς in exemplum afferri possit, quódnā aliud inueniēt quo suam opinionē tueātur? Cogitaui quidem olim, non defuturum fortasse qui ἀήτης in medium proferret: sed in promptu est responsio. Nam sicut Hesiodo placuit ἀήτας fœminino genere dicere, non autem masculino, cum Homero: ita non absimile vero est, illi

aliam quoque declinationem placuisse: ἀήτη videlicet, vt dicitur Ἀρήτη.

Quorum genitiuus in ου. Ibidem.

An duntaxat in ου desinere masculina huius declinationis dicēdum est? Nō certè: nisi etiam negemus Græca esse nō solùm hæc propria nomina, Ἀρχύτας, Πυθαγόρας, Παυσανίας, Σφοδρίας, & alia quamplurima, sed ista etiam appellatiua, πατραλοίας & μητραλοίας, δὔφαρέτρας, εὐρυβίας, λᾶας, ὀρνιθοθήρας, θυννοθήρας. Hæc enim genitiuum in α plerunque habent. Atqui tantum abest vt Græca esse illa quoque propria negare debeamus (alioqui Dorica dialectus è Græco excludenda sermone esset) vt multa etiam quę sunt à Romanis sumpta, id est ex eorum nominibus facta, Græca videri eatenus debeant fortasse, quatenus terminatione Græca sunt vestita. veluti Κίννας, factum ex Cinna. Sed de illa in α terminatione vide plura in iis quæ sequuntur.

Quædam primæ genitiuum habent per α: vt ὁ Θωμᾶς, τοῦ Θωμᾶ, sic Λουκᾶς, τοῦ Λουκᾶ. Ibidem.

Gaza, Chrysoloras, Vrbanus, Clenar-

nardus, aliíque multi genitiuum duplicē non conſtituunt, ſed vnicum, in ου videlicet. Quoniam (vt opinor) genitiuum in α, eſſe Doricum exiſtimarunt. Et ſanè ſi nō alia quàm hæc afferri poſſent exempla terminationis in α, hæc inquam Θωμᾶ & Λουκᾶ (quibus ſimile eſt Φωκᾶ, à nominatiuo Φωκᾶς) exceptione potius vtendum eſſet fortaſſe, quàm duplex terminatio ſtatuenda: ſed tam multa quæ attuli ſuprà, & multo plura quę illis addi poſſunt, vnicam terminationem huic declinationi tribuere, nequaquam (meo quidem iudicio) patiuntur. Clenardus tamen ſuis in Declinationes ſimplices annotationibus, ſcribit, *Primæ declinationis nomina in ας quædam recepto more genitiuum faciunt in α.* Et affert in exemplum iſta, Θωμᾶς, Ἀννίβας, Πυθαγόρας, Ἀρχύτας, πατραλοίας. additque, *& item alia cōſimiliter.* Vrbanus verò in ſecundo ſuo libro Αἰνεία quidem, ſicut & Κρονίδα, & Φιλώνδα, pro Αἰνείου & Κρονίδου & Φιλώνδου dici ait, ſed à Doribus: quorū etiam eſſe ait λᾶα & Ἀλεύα, ex λᾶας & Ἀλεύας.

At ego grāmaticos ita debuiſſe hac de re ſcribere crediderim, PRIMAE decli-

nationis nomina non in ου tantùm ſed etiam in α genitiuum habent: & quidem vtrumque nonnulla. Nam à Πυθαγόρας, Ἀρχύτας, Παυσανίας habemus genitiuos Πυθαγόρα, & Πυθαγόρου, Ἀρχύτα & Ἀρχύτου, Παυσανίας & Παυσανίου. Idémque & in quibuſdam appellatiuis nominibus videre eſt: vt in πατραλοίας, μητραλοίας, ὀρνιθοθήρας, δευτερίας. At verò genitiui horum, Μίωας, Κοσμᾶς, Κηφᾶς, Θωμᾶς, Λυκᾶς, Φωκᾶς, atque his ſimilium, non vtrãque, ſed in α tantùm terminationem habent.

Ita (inquam) debuiſſe grãmaticos hac de re ſcribere opinor: ſed addẽtes in Annotationibus, aut in Scholiis, ſumptam quidem à Doribus eſſe hãc genitiui terminationem, verùm ita vt in communẽ vſum nonnullis in vocabulis tranſierit. Quemadmodum autem duplicem genitiuum illa tria Πυθαγόρας, Ἀρχύτας, Παυσανίας, habere dixi, ita & de aliis multis idem dici poteſt. ex quibus eſt Σφοδρίας apud Xenophontem. nam pag. 334, Σφοδρίου: at pag. 337, Σφοδρία habemus. Sic à nominatiuis Χαρώνδας, Φιλώνδας, aliiſque nonnullis, aliter etiam deſinentibus, v-

trunque esse in vsu genitiuum arbitror: at Κλεινίου, Δεινίου, Α'μυνίου, Νικίου, Πασίκ, Ξανθίου, potius quàm Κλεινία, Δεινία, me legere memini: itidémque in cæteris: vicissim Α'χιλλᾶ potius quàm Α'χιλλοῦ. Imò verò hoc ne legisse quidem me vsquam recordor. Sed nec in illis, Μηνᾶς, Κοσμᾶς, Θωμᾶς, & cæteris quæ paulo antè recensui, aliũ quàm in ᾶ genitiuũ mihi memoria suggerit: (sicut etiã Καϊάφα in Testamẽto nouo nõ Καϊάφου scriptũ est) ideóq; valde miror cur Antesignanus in Indice suæ grammatices, Θωμοῦ, Κοσμοῦ, Λουκοῦ, ac cætera eodem modo scripserit. At verò Α'νδρέας & Α'νδρέα (illud tamẽ frequẽtius) leguntur, eodem modo quo Πυθαγόρου & Πυθαγόρα, Α'ρχύτας & Α'ρχύτα.

Ad nomina autem appellatiua quod attinet, quanuis Clenardus & quidam alii nominibus propriis quæ genitiuum in α habent, recepto more miscea t appellatiuum πατραλοίας, falletur tamen qui πατραλοίου, itidémque μητραλοίου à μητραλοίας, inusitata esse putabit. Sic etiam genitiuus δευτερία ex Dioscoride affertur: sed tamen δευτερίου non minus libenter dixerim, & magis etiam vsitatum altero credi-

crediderim, ſicut νεανίου, τραυματίου. Viciſſim autē genitiuum ὀρνιθοθήρα & θυνοθήρα (vt apud Athenæum) alteri prætulerim. A χρυσάδας quidem certè χρυσάδα multo libentius quàm χρυσάδου dixerim: quòd nominatiuus ille quiddam Doricū præ ſe ferre videatur.

Vocatiuus α, & η. Ibidem.

Hoc cæteri quoque fatentur grāmatici: ſed in eo ſicut & hīc, errant, quòd ea quidem quorum nominatiuus eſt ας, putant vocatiuum habere in α: ſed quorum eſt ης, eorum omnium vocatiuum deſinere in η: exceptis iis quæ in της exeunt. Quaſi verò nō dicatur etiam λῃστά. Tantum certè abeſt vt huius vocatiui vſum reformidem, vt hoc potius quàm altero (λῃστὴ videlicet) vſurus ſim. Facient certè pro me cum alia, tum verò Ὀρέστα, quod apud Euripidem legitur: quinetiam apud Sophoclem, cum alibi, tum verò pag. 133, meæ editiōnis. Hunc autem vocatiuum Latini quoque vſurparunt nam *Oreſta* legimus apud Senecam in Agamemnone. Cui ſimile eſt *Thyeſta*. Sciendum eſt autem, breuem in talibus vocatiuis eſſe lite-

ram α. Nam vt Ὀρέστα habet vltimã breuem in illo Sophoclis loco, sic πξόπα apud Homerum.

In της finita, vocatiuum habent per α. vt ὁ προφήτης, ὦ προφῆτα. Ibidem.

Non solùm in της finita (vt à προφήτης, τοξότης, αὐλήτης, ἱππιλάτης, Μιθριδάτης, sũt vocatiui προφῆτα, τξότα, αὐλητὰ, ἱππηλάτα, Μιθριδάτα) sed etiam Γεωμέτρης, παιδοτρίβης, βιβλιοπώλης, atq; alia hãc terminationẽ habẽtia. Ad βιβλιοπώλης quidem certè quod attinet, vocatiuum eius esse debere βιβλιοπῶλα, ostendit ἀλλαντοπώλα, quod apud Aristophanem legitur. Quinetiã κωμῶπα legimus apud Homerum, à κωμώπης: sed ei illa quæ eiusdẽ sunt originis fuerint adiicienda. Ea insuper quæ, si nõ eiusdem originis, at terminationis sunt saltem. Quinetiã ab iis quæ desinũt in ωπης, legimus vocatiuos Γρᾶπα, & Ἀράπα: quorum vtrunque apud Xenophontem extare puto: de posteriori quidem certè affirmare audeo. Quinetiam nomina gentilia (quæ Græci grammatici ἐθνικὰ vocant) talem vocatiuum habent. dicitur enim Σκύθα, Πέρσα. Sed

ad Πέρσα quod attinet, qui & alterum vocatiuum Πέρση apud Hesiodum initio Ergων leget, sciat id non ἐθνικὸν (hoc quidē in loco) sed κύριον esse, id est proprium.

Sunt verò & qui hos tres vocatiuos addant, λάχνα, μῶμα, πυρὶ χμα.

Tam multa denique hunc vocatiuum habent, id est vocatiuum in α desinētem, vt etiam Χρύσα posse adiici, & saltem nō minus quàm Χρύση posse dici, absimile vero non sit.

Verùm illa quæ in της exeunt, (quorū facta modò fuit mentio) exceptione omnino carere non existimantur. Nam excipiēda hoc è numero dicuntur, καλλιπάτη, αἰναρέτη, & proprium nomen Αἰήτη.

Finita in δα, θα, ρα, & α purum, habēt genitiuum in ας, & datiuum in α. Ibidem.

Grammatici omnes, quos vnquam legere contigit, nimis angustos fines illi in ας genitiuo, & datiuo in ᾳ, præscribunt. Multo enim latius patet. nam quum his quæ desinunt in δα, θα, ρα, & α purum, adiiciant tantummodo μνᾶς, & Α᾽θήνας, atque Ναυσικᾶς, (quę fiunt ex habentibus α purum, μνᾶ, Α᾽θηνᾶ, Ναυσικᾶ) inuenio

etiam quædam partim in λα, partim in μα exeuntia: vt Φιλομήλας, Φίλλας, Α'πάμας, quæ apud Plutarchum leguntur. At verò Α'λφεσίβοια, Πολύβοια, & alia huiusmodi, sub habentibus α purum sunt cõprehendenda.

At Φιλομήλης etiam legitur (dicet quispiam) necnõ Πολυμήλης. Fateor: sed à nominatiuis Φιλομήλη & Πολυμήλη hos esse genitiuos respondeo: vt Φιλομήλας & Πολυμήλας à Φιλομήλα & Πολυμήλα.

Quid si verò addamus, Φιλομήλη & Πολυμήλη communis dialecti, Φιλομήλα autem & Πολυμήλα esse Doricæ? Habebimus certè quo sententiam nostram tueamur: quum Λῆδα pro Λήδη esse Doricum scribat Herodianus, & quidem adiiciens Φιλομήλα & Α'νδρομέδα. Sedenim ita esse Dorica nonnulla horum nominum (id est terminationem istam habentium) existimãdum est, vt in communis etiam linguæ vsum trãsierint, & in ea quoque sint frequentiora quàm quæ in η desinunt. Atque id de Α'νδρομέδα (inter alia) dicẽdum crediderim.

Quæ est tertia? Est masculinorum, fœmin. communium in ος. Pag. 6. parte post.

Quanuis & alii grammatici in exemplum nominis huius declinationis, quod communis sit generis, afferāt tantùm vocabulum illud ἄνθρωπος: non tamē idem hîc illis contingit quod in prima declinatione, vt probare volentes (si probari potest quod falsum esse constat) illam quædam etiam generis communis habere, aliam non possint vocem quàm λῃστὴς in exemplum afferre, non tamen apud scriptorem vllum obseruatam, sed à grāmaticis qui præcesserunt quasi per manus sibi traditam. Haud (inquam) idem hîc illis contingit: quum alia afferri non pauca exempla possint. Nam quid de θεὸς dicemus? quid de ἵππος? quid de ὄνος & ἡμίονος; quid de κάμηλος; quid de ἔλαφος.

Sed multo tamē plura adiectiua quàm substantiua, communis sunt generis: partim simplicia, partim composita. Simplicia, vt κοινωνὸς, σκυθρωπὸς, μέθυσος, χρήσιμος, φρόνιμος, ἀνύσιμος, πόνιμος, ἐλεύθερος, κόσμιος (in soluta quidem oratione.) Sed multo plura composita: vt ἔνδοξος, παράδοξος, &c. & ἔμπειρος, ἄπειρος: & εὔκοσμος,

ἄκοσμος: & εὔκολος, δύσκολος: & εὔλαλος, ἄλαλος: & εὐλίμβος, ἀλίμβος: & εὔκομος, & εὐπροσήγορος, ἀπροσήγορος: & φιλόσοφος, ἀφιλόσοφος. & πάμφιλος, πολύφιλος, ἄφιλος. item ἄκυρος.

Hæc autem aliáque huiuſmodi, communis etiam dialectus ſibi permittit: at verò Attici, præſertímque poetæ, Sophocles & Euripides, multo vlterius progrediuntur, vt docui pag. 24, de Attica dialecto diſſerens. Ibi enim θυραῖος, βίαιος, σιγηλὸς, μεμπτὸς, φορητὸς, φαῦλος, pro θυρᾶια, βιᾶια, σιγηλὴ, μεμπτὴ, φορητὴ, φαύλη, aliáq; eodem dicta modo attuli.

Verùm ſi regulæ quam ſcholiaſtes Sophoclis affert, adhibenda eſt fides, ex iis quæ ibi protuli, & quæ illis addi poſſunt, multa dicenda fuerint poetica potius quàm Attica. Ita enim ille, pag. 96, meæ editionis, Θυραῖος pro θυρᾶια, itẽ ῥαῖδαῖος pro ῥαιδαῖα, & βίαιος pro βιᾶια, *& quæcũque maſculina in* ος *deſinentia vſurpãtur loco fœmininorũ in* α *deſinentium, Attica ſunt: at verò* χρύσεος *pro* χρυσῆ, *&* κλυτὸς *pro* κλυτὴ, *& quæcunque in* ος *maſculina pro fœmininis in* η *ponuntur, ſunt poetica.* Hæc (inquam) enarrator ille eo quem dixi loco

scribit: quæ si vera sunt, nequaquam pro Atticis habenda sunt illa omnia, σιγλὸς, μεμπτὸς, φορητὸς, φαῦλος, quinetiam κοινὸς, pag. 338, eiusdem Sophoclis, in eadem editione. Scimus enim horum fœminina esse σιγλὴ, μεμπτὴ, eodémq; cætera modo η habere, non α. Sed valde vereor ne hic scholiastes, quum illam regulam scripsit, horum ac similium quæ apud Atticos poetas passim extant, minimè recordatus fuerit: ideóque ex Homero duntaxat exempla attulerit. quum alioqui non minus poeticũ esse κοινὸς pro κοινὴ, quàm κλυτὸς pro κλυτὴ alibi fateatur. Nam pag. 338, κοινὸς fœminino genere ita positum esse ait vt κλυτὸς Ἱπποδάμεια: & tamen (in quo sibi non constat) illud κοινὸς Atticè dictum esse ait.

Vnum est nomen ad hanc declinationem & classem pertinens, quod tamen in medicorum honorem seponendum à cęteris existimaui. Id enim est ἰατρός. nam mulierem quoque ἰατρὸν dictam fuisse legimus. Sed hac de re plura in paginam 19, illius Grammatices, ad cuius paginas passim te remitto.

Quoniam autem suprà de iis loquens

quæ ſub terminatione in ος communis ſunt generis, dixi grammaticos non debere ἄνθρωπος duntaxat in exemplum afferre quum θεὸς etiam tale ſit: & talia etiam multorum animalium nomina, vt ἵππος, κάμηλος, ἔλαφος, ὄνος, ἡμίονος: addo iis quæ ibi dixi obſeruationem cognitu digniſſimam: nimirum Græcos quum genus fœmininum ſub hac in ος terminatione complecti non poſſunt, ita circumloqui vt adiiciant θῆλυς. Ita enim Ariſtoteles (exempli gratia) ὁ ὄρεις θῆλυς.

Sed antequam huic ſermoni finē imponam, audi quod tibi mirum nunc videbitur: ſed poſtea, in Atticorum ſcriptorum (quorūdam præſertim) lectione, minimè nouum: vtpote præmonito. Attici quanuis in multis vocabulis ſub terminatione maſculina fœmininum complecti genus voluerint, vbi Communis lingua id minimè facit: tamen vice verſa in quibuſdam fœminina terminatione gaudet vbi Communis maſculina eſt contēta. Exempli gratia, quum χρήσιμος & μέθυσος dicant qui dialecto communi vtūtur, & Attici ſub hac terminatione in ος multa fœminino genere vſurpēt: tamen

eorum nonnulli, tanquam hîc aliquam καιροπρέπειαν quærentes, χρησίμη & μεθύ ση de fœmininis dicere maluerunt.

Neutrorum in ον *quædam Attico more abiiciunt* ν: *vt* ἄλλο, τοιοῦτο, τοσοῦτο. *Sic & pronomina*, τοῦτο, ἐκεῖνο, αὐτό. Ibidem.

Fallitur hic, cum cęteris grammaticis, in eo quod de istis nominibus annotat. Contrà enim Attici τοιοῦτον & τοσοῦτον potius dicunt quàm τοιῦτο & τοσοῦτο, præsertim sequente vocali. Ideóque hæc dicenda non essent Attico more abiicere ν, sed contrà Attico more hanc literam accipere. De cæteris autem, ἄλλο, ~~τοσοῦτο~~, *Lege*, τοῦτο, ἐκεῖνο, αὐτὸ esset tacendum. Quomodo enim hæc dici queant abiicere literam quam nusquam habere comperiuntur? Quomodo autem habere possent, quum dicendo ἄλλον, τοῦτον, ἐκεῖνον, αὐτὸν, nulla futura sit inter neutrum & masculinum genus differentia?

Sed quanuis Attici nihilo magis αὐτὸν genere neutro dicant quàm ἄλλον, τοῦτον, ἐκεῖνον: tamen ταυτὸν apud eos inuenitur, vt τοιοῦτον & τοσοῦτον. Aristoph. in Ranis, Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.

Idem in Concionantibus, dixit γραῖδιον τοιουτονὶ, non τοιουτοῖ, hoc in loco, Ἐξὸν, καθέντα γραῖδιον τοιουτονὶ, Ἐκ τῆ φρεάτων τοὺς κάδους ξυλλαμβάνειν.

Quinque accusatiuum etiã habẽt sine ν, ἀθως, ἕως, πέως, κῶς, λαγώς. Pag. 7. parte pr.

Valde hîc quoque memoria lapsa est grammaticorum turba. Nisi potius vnicum olim lapsum esse putandum sit, primum videlicet, quem deinde tota turba sequuta fuerit. Si enim quæcunque nomina huius declinationis, præter hæc quinque, accusatiuum habent sine ν, mẽdosè scripta dici deberent, næ mendosè scripta plurima dicenda essent. Legimus enim cum alios multos accusatiuos (ex iis qui hanc ad classem pertinent) sine ν, præter eos quinque qui hîc sunt annotati: tum verò ἵλεω & ἀγήρω, & πλέω, eiúsque cõposita ἔκπλεω, ἀνάπλεω, ἔμπλεω, ὑπόπλεω, περίπλεω. Interdum etiam accusatiuos propriorum nominum: vt Τωδάρεω, Μενέλεω.

Rectè autem hic grammaticus inter eos quos excipit accusatiuos ponens etiã accusatiuũ nominis λαγὼς, scribit λαγῶ,

non λαγῶ, cum aliis pleriſque grammaticis. Neque tamen λαγὼν nuſquam legi putandum eſt. nam apud Plutarchum in Apophthegm. Lycurgi duobus in locis habetur. Idémque & de cæteris quæ ſine ν ſcripta inueniri dixi, exiſtimandum eſt, alteram quoque eorum ſcripturam extare.

Cæterùm nec de neutro hoc prætereundum eſt genere, inueniri & ipſum alicubi abſque litera ν ſcriptum. veluti in ἀγήρω & ἐπίπλεω: ſed ita (nam hoc diſſimulare nolo) vt inter ſe diſſentiãt exemplaria. Nam apud Thucydidem lib. 2, exemplaria quædam habent, τὸ γὰρ φιλότιμον, ἀγήρω μόνον: cæteris habentibus ἀγήρων. vel ἄγηρων, cum accentu in antepenult. Sic apud Philonem De mundo, ἵνα ἀγήρω καὶ ἄνοσον ᾖ. Sic ὀπίπλεω apud Plutarchum, σύκων ἐπίπλεω τὸ ἀγγεῖον ἔδειξε. Et alibi ἔκπλεω eodem modo.

At verò illud in ως neutrum, quod vnicum eſſe dicit, potius ita ſcribendum eſt, τὸ χρέως, τοῦ χρέω: &, quemadmodum λαγὸς vertitur ab Atticis in λαγώς, ita χρέος verti in χρέως. Ac inuenitur quidẽ hoc nomen & cum ν in fine: ſed mutata

sede accentus. scribitur enim χρεών.

Quorum genitiuus est in ιος, vel υος. Ibid.

Non eiusdem sunt naturæ hi genitiui: miniméque eadem esse eorum ratio dici potest, ad vsum quod attinet. Nam genitiuus γλυέσιος Cõmuni linguæ vsitatus nõ est: sed vtitur, sicut & Attica, genitiuo γλυέσεως: at genitiuo ἐριννύος vtrique vtãtur necesse, quum alius minimè sit.

Sed huic grammatico ne hunc quidẽ errorem proprium esse, verùm cum multis communem, ostendam in sequentibus, vbi & de genitiuo πόλιος loquar.

Accusatiuum habent tam per α quàm per ν, barytona in ις, vel υς. Ibidem, parte post.

Hoc ita dictum, si exemplum non adderetur, aliquem impellere in errorem posset: quasi ex Πάρις dici solet Πάρια. Ideóque dicere maluissem, *Barytona in ις, vel υς, quorum genitiuus in δος, accusatiuum habent tam per ιδα vel υδα, quàm per ιν, vel υν.*

Quanuis autem valde nouus videri queat ille accusatiuus Πάρια, fortasse tamen non minus nouum dicere possimus

esse accusatiuum Πάρι absque ν : quem habemus in Anthol. epigramm. lib. 4, Καὶ λέξεις, αἰνῶ τὸν Πάρι τῆς κρίσεως. sed quomodo locum hunc, quem mendosum esse persuasus sum, emendandum existimem, (ita vt nihil necesse sit φρύγα pro Πάρι substituere) antea docui.

At ex duobus illis accusatiuis Πάριδα & Πάριν, multo hic quàm ille est frequẽtior. sicut multo frequentius occurrit accusatiuus Ἀϊδωνῆα, quàm Ἀϊδωνῆδα, & Ὀσίριν quàm Ὀσίριδα, & Ἄτην quàm Ἄτηδα. Imò verò quædam horũ ne reperiri quidem existimo. Sic etiam Latini accusatiuum in IN aut certè IM, quàm in IDA aut IDEM magis amarunt. In multis certè Ouidij locis Parin me legere memini: at nullũ in quo Paridem dixerit, memoria mihi suggerit. Virgilii autem vnicum, *Solus qui Paridem solitus contendere contra.*

Ac mihi profectò videor obseruasse, multos scriptores illam in ιδα terminationem nominibus propriis quæ generis sunt fœminei, reseruare maluisse: sic tamen vt hîc quoque magis placuisse illis alterum genitiuum, non immeritò fortasse aliquis sit dicturus. Nam Plutarchũ,

ſicut Ὀ'σιριν potius quàm Ὀ'σίριδα, ita etiã Γ'σιν potius quàm Γ'σιδα, dicentem audimus. Itidémque Α''λκησιν (ſi bene memini) libentius quàm Α'λκήσιδα dicunt. Sed Φιλαί̓νιδα fortaſſe non minus libenter quàm Φιλαῖνιν.

Ex appellatiuis autem nominibus alia illum duntaxat in ιδα accuſatiuum, alia vtrũque habent. Nam à κρηπὶς, ψηφὶς, ἐλπὶς, tantùm κρηπῖδα, ψηφῖδα, & ἐλπίδα legimus: ab ἔρις autem nõ minus ἔριν quàm ἔριδα. Sed Euſtathius μιλῶιν Atticum & Ionicum eſſe ſcribit pro μιλώιδα. Quod ſi verum eſt, idem & de accuſ. ἔριν dicendũ videri queat.

Sed quo ſe res cunque habeat modo, diſcendum eſt compoſita accuſatiuum in ιν potius quàm alterum habere. Quanuis enim ἐλπίδα tantùm & πατρίδα & φροντίδα legamus, tamen εὐέλπιν, δυσέλπιν, ἄελπιν, frequentius quàm εὐέλπιδα, δυσέλπιδα, ἀέλπιδα: itidémque φιλόπατριν & ἀφροντιν ſæpius quàm φιλοπάτριδα & ἀφρόντιδα inueniemus. Ac illis accuſatiuis in ιν ſimiles ſunt, (licet non ſimilis quod ad originem attinet, naturæ) iſti, ἄναλκιν, ἄπολιν, φυγόπολιν, φιλόπολιν & μισόπολιν.

Enimuero quædam ſunt in ις quæ genitiuum non tantùm in ιδος, ſed in ιος etiam habent. vt à Τίγρις non tantùm Τίγριδος ſed Τίγριος quoque dicitur: atque adeo apud Ariſtotelem hic genitiuus legitur. Sic verò Ἀναχάρσιος apud Platonẽ extat, De republ. lib. 10, pag. 600 meæ editionis: & tamen Ἀρτέμιος (pro quo dici ſolet Ἀρτέμιδος) Æolicæ dialecto adſcribitur: ac certè illum Platonis locum afferens Euſebius, Ἀναχάρσιδος, non Ἀναχάρσιος ſcribit.

ALIA de iis quæ in ις deſinunt, eadem opera dicenda exiſtimo: ac monẽdos eſſe lectores ne quibuſdam fidem adhibeant grammaticis, qui hoc in numero eſſe tradunt nonnulla etiam quorum genitiuus in σος necnon in δος deſinit. Ac ne multos grammaticos nominare neceſſe habeam, ſubiiciã verba Anteſignani, quem vulgus pro grammaticorũ anteſignano habet, maximam ea in re grãmaticis iniuriam faciens. Audi igitur illius Anteſignani verba,

Hoc loco animaduertendum, Clenardum omiſiſſe terminationem ις, ιτος, vt ἡ χάρις, χά-

ρτος, *Gratia. Sic eius composita,* ὁ ἡ εὔχαρις, *Gratiosus,a:* ὁ ἡ ἄχαρις, *expers gratiæ, Iniucundus,a. Omisit & ισος, vt* δέμις, δέμισος, *Ius.* ἡ χάρις, χάρισος. *nam* χάρις, *facit* ιτος, *& ιδος, & ισος.*

Itáne pro grammaticorum anteſigna no eum haberi qui tantam vno eodémq; in loco ignorantiam prodat? Apud quem quæſo ſcriptorem Græcum Anteſignane vel χάριδος vel χάρισος legiſti? Apud nullum ſcriptorem Græcum hoc legit Anteſignanus (excipiet aliquis fortaſſe, qui Anteſignano patrocinari cupiet) ſed quũ apud Ceporinum & quoſdam alios grãmaticos inueniſſet, & minimè cuiuſquã fidem (vt erat probus vir) vſquam ſuſpectam haberet, hunc centonem cęteris aſſuendum putauit. Ego verò, lector, quicunque vel mediocriter in Gręco ſermone exercitatus es, non puto tibi defuturũ quid tam ſtultæ patrocinationi reſpondeas: (qua tamen nulla ſimplicior ac verior inueniri poteſt) ſed tantùm vereor vt per bilem aut certè per riſum vel vnũ verbum eloqui tibi liceat. Potius tamen de χάριδος quàm de χάρισος excuſari poſſe illum, paulo pòſt oſtendam.

Ac,

Ac, quoniam ex iis etiam qui Græca sunt in lingua exercitati, nonnulli, qui fœdè lapsum esse Antesignanũ fatebuntur quũ χάρις habere etiã genitiuũ χάριτος dixit, quibusdã alioqui potuisse hunc genitiuũ tribuere, dicẽt fortassis: an rectè & cũ ratione dicturi hoc sint videdũ est. Quænam igitur exẽpla proferẽt? Non aliud, credo, quàm θέμιτος proferre poterũt. At ego θέμιστος adiectitiã seu aduentitiã habere literam σ respondeo: & quidem adiectione Dorica, si Eustathio credimus pag. 1699. scribit enim illic, θέμιστος esse γλωσσὴν Δωρικὴν. Sed eum sibi non cõstare fateor. nam pag. 735 scribit, ἐκλίνετο δὲ θέμιδος, ἡ δωρικῶς θέμιτος. Sed pag. etiam 92, θέμιτας esse Doricum scribit. Atque vt illi de genitiuo θέμιστος potius quàm θέμιτος assentiar, facit Platonis locus, De republ. lib. 2. pag. 380, vbi θέμιτος dixit, (si mendum exemplaribus non subest) & quidem de ipsa etiam dea: non dicturus fortasse, si Doricum esset.

Sunt sanè & alii apud hunc scholiastẽ loci in quibus sibi non constat: ideóque iudicium adhibeat lector necesse est. Quinetiam nonnulla habet alicubi non

sua, sed quæ ex aliis affert: quibus non temerè fides est adhibenda. Veluti quum θέμις, θέμιδος & θέμιτος cum χάρις χάριδος & χάριτος comparat. hāc enim comparationem non dubito quin aliunde habeat: miniméque χάριδος afferat tāquam vllius fide digni scriptoris autoritate cōfirmatum: sed perinde esse acsi diceret, à θέμις fieri θέμιδος & θέμιτος: perinde acsi à χάρις diceretur non solùm χάριτος, verumetiam χάριδος. Alii certè faciunt loci vt hunc ita accipiendum esse cōtendam.

Vocatiuum habent in ερ *acuta quatuor in* ηρ. Ibidem.

Inuenitur tamen ὦ σωτὴρ, & quidem apud eum etiam scriptorem quem, more Attico, vocatiuum similem facere nominatiuo, dicere haud possimus: quum lingua communi vtatur.

Genitiuus τῦ Δημοσθένεος, *vous*: *Datiuus, τῷ* Δημοσθένει, *vei*. Pag. 8. parte pr.

AVREA ADMONITIO. » Admonendus erat lector, linguam cōmunem, sicut & Atticam, casibus cōtrahctionem passis vti: sed tamen in duali nō semper hoc obseruari. Legimus enim in

Eryxia (vno è nothis dialogis qui adiuncti sunt Platonicis) φίλω ἢ συγχύσει.

Et quum afferatur à quibusdam declinatio nominis τριήρης, tanquam similis, sciendum est inueniri in genit. plurali nō solùm τριήρων, sed etiam τριήρεων, apud Aristidem, πρὸς τὸν τριήρεων ἐμπρησμόν. Iam verò & in declinatione neutrorum, cuiusmodi est τεῖχος, talē genitiuum pluralem inuenies integrum & ἀσωμάρετον. dicunt enim non tātùm ἀνθέων ab ἄνθος (quod videri posset dici πρὸς ὀλιγοστολίαν participii ἀνθῶν) sed etiam ὀρέων ab ὄρος. Quinetiam κερδέων apud Xenophontem non vno in loco extat. Apud Plutarchum autē quāuis legamus κλέα à κλέος, non tamen eadem ratione, vt opinor, diceretur ὄρεα vel κέρδεα. nam vocem illā habere istud velut priuilegium existimo, quòd sit monosyllaba.

De hoc quoque eras commonefaciēdus, non Δημοσθένη tantùm dici in accus. singulari, tanquam contractione facta ex Δημοσθένεα, sed etiam Δημοσθένλω: atque hoc accusatiuo maluisse vti Lucianum in eius encomio: contrà Plutarchum, altero, in eius vita.

Hoc etiam addendum erat post declinationem nominis ἀληθὴς, (quę declinationi nominis Δημοσθένης subiungi solet) lectorem non debere eam per omnia sequi in Σοφοκλῆς & Ἡρακλῆς, ac similibus. Ideóque prudēter quidem hic grammaticus nominum ex κλέος compositorum declinationem seorsum proponit: sed de qua tamen aliquid præterea dicendum sit: vt ex me intelliges quum ad locum illum peruenero.

Genitiuus, in ιος, vt τοῦ ὄφιος. Datiuus, ὄφιι, ὄφι. Ibidem.

Ita quidem grammaticorum vulgus: sicut etiam πόλιος, & πόλι: hoc, in datiuo, illud, in genitiuo: (quod sequens hic & superà, nimirum pag. 7, parte priore, nobis genitiuum χυέσιος exhibuit) sed dum quę Communi linguæ sunt in vsu, tradere se putant, tradunt potius quæ sunt Ionica. Apud Herodotum enim πόλιος, & in datiuo πόλι (nō minus quàm πόλεϊ) legimus: cum alibi, tum verò pag. 95, οὐδὲν ὅμοιον δὲ τῇ πόλι ταύτῃ. Vide sup. pag. 30.

Quinetiam nominatiuus plur. πόλιες & accus. πόλιας Ionicæ linguæ sunt. Nam

πόλιας apud Herodotum inuenies, cum aliis compluribus in locis, tum pag. 202, & 220. Sed & πόλις πολλαὶ scriptum est apud eum, pag. 291.

Quid igitur de huius nominis declinatione dicere debuerũt grammatici? Linguæ seu dialecto communi, eodem modo quo Atticæ (quã in plerisque magis quàm aliã vllam sequitur) receptum esse Genitiuũ πόλεως (Testamenti enim noui scriptores Atticè loqui voluerũt scilicet, quum eo ipsi quoque vsi sunt) Datiuum πόλει. In Nominatiuo & Accus. plurali, πόλεις: in Genitiuo πόλεων: in Datiuo, πόλεσι. In duali autem, non πόλιε, nec πόλι, ac multo etiam minus πόλη: sed πόλεε. Legitur enim hic dualis cum apud alios tũ verò apud Isocratem in Panathen. locis aliquot. Eodémq; modo Gen. ὄφεως, Dat. ὄφει: & ita in cæteris casibus sequi illam nominis πόλις declinationem. Ad Dualẽ quidem certè numerum quod attinet, legimus & φύσεε apud Platonem, sicut πόλεε apud Isocratem: quidam tamen non ὄφεε tantùm sed ὄφιε quoque dici putauerunt.

Propria in ης, certis casibus, etiam parisyllabicè declinantur. Pag. 9. parte pr.

Debuit admonere quæ in vsu essent, & quæ contrà essent inusitata. Ἀριστοφάνεος certè tam in Attica, quàm in Cõmuni lingua, inusitatum esse puto. Multo autem minus datiuum Ἀριστοφάνεϊ locum in alterutra habere credibile fuerit. Alioqui & de accusatiuo Ἀριστοφάνεα idem dicendum esset. Quod autem ad accusatiuũ attinet, omissus est alter, Ἀριστοφάνη, ex Ἀριστοφάνεα factus. Habes certè vtrũque accusatiuum, Ἀριστοφάνην inquam & Ἀριστοφάνη, apud Platonem, cum alibi, tũ verò in Symposio, in valde vicinis locis. Hunc enim locum, Ἐκδεξάμενον οὖν ἔφη εἰπεῖν τὸν Ἀριστοφάνη, ὅτι οὐ μάλ' ἐπαύσατο: sequitur iste paucorum versuum interuallo, Καὶ τὸν Ἀριστοφάνη γελάσαντα εἰπεῖν. Sic autem & Σωκράτει & Σωκράτη dixerunt: sed obseruasse mihi videor, Xenophontem quidem Σωκράτει, at Platonem Σωκράτη libentius dixisse. Nam in Apomn. lib. primo, pag. 417, sæpe Σωκράτει, nunquam Σωκράτη: at Plato vicissim cum aliis in libris tum in Symposio passim Σωκράτη, non Σωκράτει, dicit. Alio-

qui certè nõnullos crediderim hunc circa talium accuſatiuorum vſum delectũ adhibuiſſe alicubi (non enim vbique, dicere auſim) vt ſequente vocali, accuſatiuo habente ν: ſequente conſonante, altero vterentur. Et verò in illis duobus Platonis quos attuli ex Sympoſio locis, hoc ſpectaſſe videri poſſet, ſi alii multi inuenirẽtur in quibus hæc obſeruatio locum haberet.

Sic compoſita ab ἔτος, *vt* ὁ ἑπταέτης, τοῦ ἑπταέτους. Ibidem.

Imò verò nullum eſſe vſum huius genitiui ἑπταέτους exiſtimo: (quanuis à Clenardo etiam & aliis proferatur) ſed tantùm contractionem paſſi ἑπταέτους, ſiue ἑπταετοῦς. Nam hoc, ſicut & cætera ex ἔτος compoſita, controuerſiam de accentu habet. Ego, ſi ἑπταέτης ſcribatur in nominatiuo, διέτης, τριέτης, &c. itidem ἑπταέτους, διέτους, τριέτους, ſcribendum dixerim: at ſi malimus ſcribere ἑπταετὴς, διετὴς, τριετὴς, (quæ fortaſſe verior ſcriptura eſt) nõ dubitem quin etiam ἑπταετοῦς, & διετοῦς, itidémque τριετοῦς ſcribere oporteat. Si tamen conſtituere aliquam inter has

scripturas differentiam oporteat, nequaquam velim eam quæ ab Eustathio statuitur sequi, vt διετες & τριετες &c. de tẽpore dicantur: at verò παιδίον aliquod esse dicamus διετὲς siue τριετές. Hãc, inquã, minimè sequẽdam putem: sed potius crediderim verum esse quod alibi tradit, ex quibusdam veteribus grammaticis, secũdum linguæ communis vsum hæc nomina ὀξωνεδαι, quum Atticis placeat ea βαρυώνεδαι. De hoc quidem certè nullo ambigendum modo putem, quin vbi amittitur α, ea βαρυώνεδαι oporteat: id est, scribi ἑξέτης non ἑξετὴς, ex ἑξαετής. sic ὀκτωκαιδεκέτης & εἰκοσέτης, nõ ὀκτωκαιδεκετὴς & εἰκοσετὴς, ex ὀκτωδεκαετὴς & εἰκοσαετής.

Verùm, vt ad illum ἑπταέτεος genitiuũ reuertar, cuius nullum esse vsum dixi, si ἑπτάετὴς, scribatur, non ἑπταέτης, non dubium est quin ἑπταετέος scribendum sit. Sic autem διετέος, τριετέος, τετραετέος, &c. ex διετὴς, τριετὴς, τετραετὴς: vel certè διέτεος, τριέτεος, τετραέτεος, ex διέτης, τριέτης, τετραέτης. Verùm illos & reliquos eiusdẽ formæ genitiuos nihilo magis in vsu esse (Cõmuni quidem certè linguę & Atticæ) quàm ἑπταέτεος, sciendum est: sed tã-

tùm διετοῖς, τριετοῖς, τετραετοῖς : aut διέτοις, &c. Ne hoc quidem præteribo, duplicem hæc quoque accusatiuum habere, & in ιν & in τλω: sed illum esse frequentiorem.

A κλέος composita, ferè sic contrahuntur.
Ibidem.

Prudenter hic grammaticus (vt dixi antea) nominum ex κλέος compositorum declinationem seorsum proponit: sed nobis tamen hîc quoque quod addamus relinquit.

Quum igitur ex κλέος compositorum vsitatissima sint, Ἡρακλῆς, Περικλῆς, Σοφοκλῆς, Θεμιστοκλῆς, Πατροκλῆς: quod in vno horũ obseruauerimus, minimè dubium est quin valere in cæteris quoq; debeat. Obseruaui autem non tãtùm genitiuum Ἡρακλέους, sed Ἡρακλέος etiam: sic tamẽ vt in aliquot Athenæi duntaxat locis meminerim hunc legere. Accusatiuum Ἡρακλῆ cum alibi inuenies, tum in Anthologia: duobus nimirum in titulis qui duobus epigrãmatibus sunt præfixi. Sed ego (vt verum fatear) talem accusatiuum suspectum habeo: minus suspectum habi-

turus Ἡρακλῆ.

Ad vocatiuum autem quod attinet, ſicut hîc Ἡράκλεις habes, ita apud Xenophontem Πειρίκλης: me tamen alicubi vocatiuum Σόφοκλες legiſſe ſum memor.

Tertia eſt maſcul. in ὰς: quorum genitiuus in έος, vt βασιλέος. Pag. 9. facie poſter.

Primùm falſiſſimum eſt iſtud tam apud hunc grammaticum quàm cæteros, genitiuum huius declinationis eſſe in εος, per ο: quum nuſquam ſit talis genitiui vſus apud eos qui Communi lingua vtuntur, ſed tantùm eius quem Atticum eſſe dicunt, βασιλέως: & qui ſic pro Attico eſt habendus, vt nō minus Cōmunis linguæ eſſe ſciamus. Niſi fortè ſcriptores quoque Teſtamēti noui, qui βασιλέως, nō βασιλέος ſcripſerunt, Attica ſunt dialecto vſi. Cuius igitur eſt dialecti βασιλέος? Ionica (credo) illud ſibi vindicabit, quòd ab Herodoto vſurpetur, eodem modo quo Περσέος. Interim tamen fateor βασιλῆος quoque apud illum multis in locis legi.

Deinde admonendus erat lector, contractionē in plurali etiam accuſatiuo nō ſemper fieri, ſed hoc ipſum βασιλέας non

contractum, alicubi inueniri: ſicut ἱππέας & Φωκέας apud hiſtoricos interdum legimus. Apud Platonem certè χρυσέας nõ vno in loco habemus. Iſocr. & χρυσέας & φονέας vno eodémque in loco dixit. Sic νομέας bis aut ter nobis exhibet Xenophon in ſuo Pædię proœmio. Sic denique ὑέας, ſic ἀλιέας, ſic alia eiuſdem formæ multa legimus.

Quarta eſt fœmininorũ in ω & ως. Pag. 9. facie ſeu parte poſter.

Fœminina quidem ſunt tam quæ in ω quàm quæ in ως deſinunt: ſed illa, magna etiam ex parte, propria nomina. Sic Λητὼ, Καλλιστὼ, Καλυψὼ, apud Homerum, & cæteros poetas: Πρωτὼ, Δωτὼ, Σαὼ, apud Heſiodum: ſic Πρηξὼ, Νοστὼ, Φιλὼ, Ἀριστὼ, Τιμαγθὼ, in Anthol. epigr. Talia ſunt etiam Σαπφὼ, Γοργὼ. Appellatiuum autẽ eſt φειδὼ: appellatiua ſunt etiam εὐεστὼ & ἀεικεστὼ, quæ Ionica exiſtimantur. Democritus certè illo eſt vſus.

Potius autem ſequi hunc grammaticum oportet in accuſatiuo, quàm eos qui illum circumflectũt. Vrbanus tamen vult quidem accuſatiuum à nominatiuo

in ὼ acui: at verò accuſ. à nominatiuo in ως, circumflecti: vt ᾠδῶ, ab ᾠδώς. Sed ego in hoc aliiſque huiuſmodi acutum potius quàm circũflexum in fide dignis exẽpl. obſeruaui. Ad accuſatiuum autem plu ralem quod attinet, malè (vt opinor) hic grammaticus, ſicut & cæteri, eum acuit. Euſtathius quidem certè mihi aſſentitur, vbi τὰς Σαπφοῖς ſcribit cum circumflexo, eodem modo Ariſtophanem εἰποῖς di xiſſe docens.

Prætereundum hîc illud quoque non eſt, (quod mihi in memoriam reuocauit accuſatiuus ille εἰποῖς) quædam eſſe quintæ declinationis nominum ſimplicium ſeu ἀσυναιρέτων, deſinentium in ὼν, quæ ad hanc contractorum, deſinẽtium in ὼ, trãſeant. Cuius rei ignarus miretur quomodo dictum ſit εἰπώ, iſto in verſu, Γ' ὁσοκράτους εἰπὼ τλῶθ' ἁνέθηκε θεοῖς, apud Plutarchum. Sed ex Euſtathio diſcere poterit, in vſu eſſe non ſolùm εἰπών, εἰπόνος, verumetiam εἰπώ, εἰποῖς. vnde dixiſſe Ariſtophanem (quem ſuo more Comicum vocat) εἰποῖς. Sic autem non ſolùm ᾠδῶν, όνος, & χελιδῶν, & γοργῶν dici, ſed etiam ᾠδώ, χελιδώ, γοργώ.

Τοῦ τῆς μείζονος. Pag.11.facie post.

In ea sunt hæresi quidam grammatici (quorum è numero est Vrbanus, nõ pessimè alioqui de arte grammatica meritus) vt putẽt eorum quæ desinunt in ξων, genitiuum esse per ω, non ο: atque afferãt in exemplum non solùm Δράξων, sed etiã ἄξων. Hoc certè si verum est, errauit Homerus, qui ἄξονα vbique cum ο non cũ ω dixit. vt Iliad. ε, -σιδηρέῳ ἄξονι ἀμφίς. Et Iliad. π, -ὑπὸ δ' ἄξονσι φῶτες ἔπιπτον Πρηνέες ἐξ ὀχέων. Errarunt verò post eum & cæteri poetæ, qui ad vnum omnes hãc sunt scripturam sequuti: eámque & in adiectiuo ἀξόνιος seruarunt.

Τὸν τῆ τῶ μείζονα. Ibidem.

Sicut alium nominatiuum, accusatiuũ & vocatiuum plurale m affert, μείζους, per contractionem ex μείζοες & μείζοας, abiecto ν, factos: & μείζω, ex neutro μείζοα: ita etiam hũc accus. singularem, mascul. & fœm. gen. in μείζω contrahere debuerat. Contractione tamen neque hîc neque illic semper vti scriptores lectorem scire oportet.

Ἀργυρόος, ἀργυροῦς. Pag. 12. parte post.

Quemcunque hic grammaticus in isto nomine & in sequētibus sequutus sit, minimè illi assentiēdum est: sed ἀργύρεος, χρύσεος & χάλκεος scribendum.

Ἥ ὄϊς, οἷς, Οἷος, οἷος. Pag. 13. parte pr.

Nusquam οἷς dixisse Homerum, sed per dialysin ὄϊς, obseruatū iam olim fuit, vt ex Eustathio discimus: qui etiā tradit οἷς & φθοῖς sola esse huius formæ nomina. Cæterùm dici etiam ὄϊδα, ὄϊδες, ὄϊδας (quod quidam annotauit) ex illo scholiaste non discimus, quod sciam.

Τέει, τεῖ, τράσι. Ibidem, parte post.

Sic πατράσι dicitur & μητράσι, necnon θυγατράσι. Quinetiam γαστράσι, vt opinor. Quibus simile habuisti paulo antè ἀνδράσι. Hanc autē formam sequi & vocē ὑάσι tradiderūt veteres quidam grammatici.

Υ *mutabitur in* ε, *vt* δάκρυ, δάκρεος, *vel* δάκρυος. Pag. 14. facie poster.

Sic etiam in huius paginæ principio habes genitiuum δάκρεος, & datiuum δάκρεϊ ac δάκρει. Sed huiꝰ datiui δάκρει ex il-

lo δάκρεϊ contracti, exemplum desidero: multo etiã magis illius genitiui δάκρεος: quod vereor nequis ad imitationem genitiui ἄστεος fieri posse existimauerit.

Ὁ Σιμόεις, οεντος, Σιμοῖς, οωντος. Et pag. sequente, *Sic participium in έων verborum contractorum.*

Admonendus erat lector, in hoc quidem participio ποιέων, nullum nisi cõtractorũ casuum esse vsum, (in Attica quidem certè & Communi lingua. nam Iones contractionem parum curant) at cõtrà Σιμόεις & Σιμόεντος absque contractione potius quàm contractè Σιμοῖς Σιμοῶντος dici: itidémque in cæteris casibus.

Genitiuus τοῦ Ἄρητος, Ἄρηος & Ἄρεως.

Pag. 16. facie pr.

Malè ab vno eodémque nominatiuo hosce tres genitiuos deducit: quibus vnũ atque alterum adiicere potuit, Ἄρεος per ο, & Ἄρου. Quinetiam tertium Ἄρους (si quibusdam credimus) ex Ἄρεος per contractionem factum. Atque adeo quartũ, Ἄρφος, si Antesignano fides est habẽda. A me certè non haberi, paulo pòst docebo.

Sed vnde sunt igitur illi genitiui Ἄρηος & Ἄρεως? ab Æolico nominatiuo Ἄρευς. Dicitur autem Ἄρηος Ionica, Ἄρεως Attica dialecto.

Nominat. Sciendum est autem, quanuis à Σωκράτης non permittatur vti genitiuo Σωκράτεος in communi aut Attica dialecto, sed tãtùm Σωκράτους, cõtractionẽ passo: cõtrà à nominatiuo Ἄρης esse potius in vsu genitiuũ nõ contractum Ἄρεος quàm cõtractũ Ἄρους: sed datiuũ Ἄρῃ nõ minus quàm Ἄρεϊ. Accusatiuum quoque Ἄρη, æquè ac Ἄρεα. Sed habere & tertium, Ἄρων.

Genitiuus autem Ἄρεω apud Archilochum ita dicitur pro Ἄρους, ab Ἄρης, vt Δεσπότεω pro Δεσπότου, à Δεσπότης. Sed quũ Eustathius vno in loco hac de re mihi assentiatur, tamẽ alibi de ista scriptura versus Homerici loquẽs, Ἄρεω ἀλκτῆρα φυλόπιδος, talem esse vult hunc genitiuum qualem Μενέλεω & Πείρεω. Illo quidem certè genitiuo Ἄρεω nõ memini me vllum scriptorem qui vteretur legere: multóque minus in vsu esse Ἄρειος crediderim: nec absimile vero fuerit, perperam ex aliquo sumptum esse loco vbi adiectiuum esse nomen non animaduerteretur.

At

At verò genitiuum Ἄρητος, itidémque datiuum Ἄρητι, & accuſ. Ἄρητα à poetis tantùm vſurpari puto.

Vocatiuus ὦ Ἄρης. Ibidem.

Imò verò Ἄρες vſitatiſſimus eſt vocatiuus: vt Σώκρατες à Σωκράτης. Lucianus certè, poſt Homerum, non ſemel in dialogo Ἄρεως καὶ Ἑρμοῦ, (nam Ἄρεως cum ω ibi ſcriptum eſt) Εὐφήμει ὦ Ἄρες. Alioqui & Ἄρη in vocatiuo dixerunt. At verò Ἄρης erit vocatiuus nominatiuo ſimilis, more Attico.

Singularis Nominatiuus ὁ ἶς. Ibidem.

Admonendus erat lector, nominatiui huius exemplum non afferri: quanuis eius obliqui craſin paſſi, ἶος, ἶι, ἶα, & in plurali ἶες ac ἶας in multis poetarum præſertim locis occurrant.

At verò ἰάσι malè hîc ponitur, quum ſit potius à nominatiuo ſingulari ἰεύς: & habeat α eadem forma qua πατράσι, & μητράσι, & θυγατράσι: quum alioqui dicēdum eſſet ἰέσι aut ἰεῦσι.

In tertia contract. Genit. ἰέος. Ibidem.

Inuenitur & ἰέως, cum ω, more Atti-

co. Sed quibuſdam in locis vbi quædam exemplaria ω, alia ο habẽt. Sciendum eſt autem, tantùm contractionem paſſis ſolutam orationem hîc quoque vti.

Quæ nomina Græca in ſingulari maſculina ſunt, & in plurali neutra? Δεσμὸς, δεσμά: Ἐρετμὸς, ἐρετμά. Pag. 16, facie poſter.

Perperam ab hoc, ſicut à Clenardo, atque aliis, hæc neutra, aut pleraque horum, ita afferuntur quaſi ſola in vſu ſint: quum tamen maſculina quoque vſurpẽtur. Nam δεσμοὶ quoque legi cõſtat, necnon ἐρετμοὶ, & κύκλοι, & λύχνοι, & μοχλοὶ, & τράχηλοι. Sed & in pluribus talem generis metaplaſmũ ſibi permiſerunt poetæ: veluti quum μηρὰ pro μηροὶ, & ταρσὰ pro ταρσοὶ, & δόρπα pro δόρποι dixerunt.

Quæ nomina ſunt ſingulariter fœminina, & neutra pluraliter? Δίφρος, Κέλευθος. Ibid.

Non hic ſolùm ſed alii quoque in hoc errarunt, quòd δίφρον generis eſſe fœminini putauerunt, quum ſit maſculini. Cæterùm de his quoque dicendum quod de præcedentibus dixi. Nam δίφροις quoque & κελεύθοις dixerunt Græci, & quidem

frequētius. Sed τάρταρος fœmininum, habet (opinor) plurale neutrum duntaxat, τάρταρα.

Quot fœminina, in nominatiuo duali sunt masculina? Quatuor. Ibidem.

Si masculina sunt in nominatiuo duali, cur non & in accusatiuo? Sed fortasse neque in illo neque in hoc masculina esse, verum masculinum illis articulum, quanuis fœmininis, præfigi existimare oportet: quinetiam de pronomine alicubi, idem quod de articulo, censendum est. Alioqui certè multo plura inuenientur de quibus illud dicere oporteat, quod hîc & cæteri de quatuor duntaxat dixerunt. Legimus enim τούτω τῷ ἡμέρᾳ apud Xenoph. item τούτω τῷ φύσει, apud Platonem: item τούτω τῷ τέχνᾳ. Sed & μόνω cum δύο, ita præfixum plurali apud eum habemus, δύο δὴ λειπτέον μόνω μηχανά.

Vide supra eiusdem pag. 104. 105.

Ὁ ἢ ἡ εὐδαίμων. Pag. 17. facie poster.

Vt hoc omittendum non fuit exemplum adiectiuorum in ων sub vtroque genere exeuntium (cui addi multa possunt passim obuia: præsertimque cōparatiua,

vt βελτίων, κακίων, ἡδίων, μείζων, μείων) ita nec de fœminea voce quorundam ſubſtantiuorum eiuſdem terminationis tacendum fuit. ſubſtantiuorũ inquam, quæ licet terminationem ων habeant vtrique generi ſeruientem, tamen in αινα quoque fœmineam vocem habere comperiũtur, haud ſecus quàm quæ in τος exeunt. Sicut enim à λέων, λέοντος, dicitur λέαινα, & à θεράπων, θεράποντος, θεράπαινα, ſic etiam à τέκτων, τέκτονος, τέκταινα: & à γείτων, γείτονος, γείταινα. quanuis hæc etiam τέκτων & γείτων fœmininum quoque genus nõnunquam includant.

Hæc τέρενα *vel* τέρεινα. Pag. 19. facie pr.

In hoc vocabulo alii aliter falluntur. Hic & quidam alii in eo falluntur quòd τέρενα non minus quàm τέρεινα dici poſſe exiſtimant: Clenardus autem, & alii nonnulli, in eo quòd τέρλω non ſolùm maſculini ſed fœminini quoque generis eſſe credunt.

Adiectiua in ος *purum, vel in* ρος, *quomodo finiunt fœmininum? Per* α: *præter* ὄγδοος, ὀγδόη, *per* η. *Reliqua, id eſt quæ deſinunt in*

ος *impurum, exeunt in* η.

Triplici exceptione vtendum hîc eſt, antequam iſta verè dici poſſint. Etenim nec omnia adiectiua in ος purum exeuntia, vel in ρος, finiunt fœmininum in α, nec quæcunque deſinũt in ος impurum, exeunt in η.

Primùm enim ab εὔδιος nõ dicitur genere fœminino εὐδία (alioqui videri poſſet eſſe ſubſtantiuum εὐδία) ſed illud εὔδιος fœminino quoque generi ſeruit. Sic etiam νήπιος & ἤπιος potius quàm νηπία & ἠπία in ſoluta oratione dicitur (ſiquando ea harum vocum vſu delectatur) quãuis νηπίη & ἠπίη Homerus dixerit.

Deinde ex eorum ſcriptorum numero qui in ρος exeuntium nominum fœminina ſemper ſcribunt per α, demẽdi ſunt poetæ Attici, Sophocles præſertim & Euripides. Illum certè non ſemper id obſeruare oſtendit ἀλιτηρὸς φρλώ.

Poſtremò, ex deſinentibus in ρος vel in ος impurum, excipiẽda erant cõpoſita de quibus antea dictum eſt, necnõ alia multo plura, quæ illis adiici queũt: vt εὔφορος, πάμφορος. Sic ἄφιλος, πολύφιλος: εὔλογος, ἄλογος. Nam ipſemet faſſus eſt pag. 17, ad-

iectiua in ος tertię declinationis, quę sunt compositа, duabus tantùm vocibus variari.

Sed nec de fœmininis subſtãtiuorum extraordinariis (vt ita dicam) tacendum fuit. Sic autem appello, θέαινα à θεός: (nisi Anteſignani errorem nõ minus ridiculũ quàm craſſum ſequi volens, hoc θέαινα à maſculino θέων eſſe malis dicere) λύκαινα, à λύκος: σκόρπαινα, pro σκορπίαινα, à σκορπίος: μαγείραινα à μάγειρος.

Quinetiam vnum quod aliam habet formam, non minus extraordinariam illam quidem. Eſt autem ἰάτρια ab ἰατρός.

Cur à καλεπὸς *dicendum* καλεπώτερος *&* καλεπώτατος? *Quia adiectiuorum penult.* &c. Ibidem, parte poſt.

Sed quædam eſſe ſciendum eſt quæ vtroque ſcripta modo inueniantur. Nam ἱκανώτερος, ἱκανώτατος, necnon ἱκανότερος, ἱκανοτατος, legimus, o b diuerſam nimirũ de quantitate vocalis præcedentis ſentẽtiam. Sic etiam ἰσώτερος & ἰσώτατος, vel ἰσότερος ἰσότατος, itidémque tam ἀνισώτερος ἀνισώτατος, quàm ἀνισότερος ἀνισότατος ſcribere quis poſſit, prout, vel breue vel

longum in ἴσος esse malet. Apud Xenophontem certè ἀνισώτερος per ω memini me legere. Magna igitur cautione est opus in scribendis nonnullis: ne vel ipsi, quātitatis ignoratione, ο pro ω ponamus, aut vicissim: vel aliorum scripturam falsò reprehendamus, earū vocum ignari quæ διφοροῶνται. Quo ex numero sunt illæ quarum paulo antè mentionem feci. Addi autem potest cōparatiuus nominis ἰχυρός: quum non solùm ἰχυρότερος, sed etiam ἰχυρώτερος scriptum inueniatur: tāquam litera υ in ἰχυρὸς vtramque quantitatem admittente. Sic φανότερος & φανώτατος: quanuis Moschopulus περὶ χεδῶν illam duntaxat priorem scripturam afferat: sicut & ἰχυρότερος, non ἰχυρώτερος. Idē τρανότερος non τρανώτερος vult scribi. rectè profectó: quum τρανὲς apud Sophoclē α producere videamus, in Aiace, Ἴσμεν γὰρ οὐδὲν τρανὲς, ἀλλ' ἀλώμεθα.

Atque hoc esse possit exemplum quarundam vocum in quibus aliorum scripturam falsò reprehensurus sit quispiam, quòd quātitatis earum sit ignarus. Idem verò dici poterit de ὀπικινδυνότερος, quod apud eum legitur. Nam multi scriberent

potius ἐπικινδυνώτερος, exiſtimãtes υ corripi, quum potius producatur.

Quot poſitiua excipiuntur? Duo, σενὸς & κενός. Ibidem.

Mirum eſt omnes grammaticos vulgares hæc duo excipere, quum nihil minus quàm omnium locorum autoritate in hac exceptione niti poſſint. Nam apud Xenophontẽ, Pæd. lib. ſecundo, necnon ſexto, habes σενωτέρα ſcriptum litera ω, aſſentiente Aldina editione pariter & Florẽtina. Habes & apud Dioſcoridem: habes & apud alios. Sic etiam κενώτερος cum alibi legitur tum in prouerbio κενώτερος λεβηλίδος. pro quo alii dixerunt γυμνότερος. Ad prius quidem illud quod attinet, habemus & Moſchopuli aſſenſum, in illo cuius modò mentionem feci loco. Nam poſt alia multa exempla comparatiui & ſuperlatiui litera ω ſcripti, ob præcedentem breuem, tandem affert etiam ἀφθονώτερος ἀφθονώτατος: & ξενώτερος ξενώτατος: & vltimum, σενώτερος, σενώτατος.

Quæ adiectiua faciunt comparatiuum &

ſuperlatiuum in τερος *&* τατος? Pag. 20 parte pr.

Dicendum fuit, hæc quidem ſola terminationem iſtam habere ex Communis linguæ vſu: ſed Atticos, Ionum exemplo, eãdẽ ſibi & in aliis permittere, dicẽtes ἀφθονέστερος pro ἀφθονώτερος: ſic ἀπαλαίστερος pro ἀπαλώτερος: ſic ἀκρατέστερος pro ἀκρατότερος. Quibus ſimilia afferuntur ab Euſtathio partim ex Homero, partim ex aliis, ἡδοιέστερον & ἀνιηρέστερον, & ζωρέστερον & εὐωνέστερον, necnon ῥᾳδιέστερον: atque adeo δικαιέστερον. Poſſunt verò his adiici nõnulla, cùm à Pindaro, tum ab aliis vſurpata: quæ priſci grãmatici apud eos obſeruarunt.

Sed inuenitur apud Atticos & aliá cõparatiuorum terminatio in ιστερος. Quæ terminatio Atticorum propria dicenda fortaſſe fuerit potius quàm illa altera: quum non Xenophon tantùm & Plato, ſed Ariſtophanes quoque, & quidem frequenter, ea vtatur. Ab illis autem in ιστερος comparatiuis ſunt ſuperlatiua in ιστατος, cum alia, tum hæc, κλεπτίστατος, ποτίστατος, πληκτίστατος, à poſitiuis quæ non tantùm eandem κατάληξιν habent, ſed

ad eandem etiã declinationẽ pertinent. Sunt enim à κλέπτης, ποτης, πλήκτης. Duo autẽ sunt à positiuis eodẽ quidem modo terminatis, sed quę aliter declinantur. nã à ψευδὴς & ἀκρατὴς sunt ψευδίστατος & ἀκρατίστατος. Sic à desinentibus in αξ, ἅρπαξ & βλὰξ sunt ἁρπαγίστατος & βλακίστατος. Etiã à desinentibus in ων sunt quędam. vt ἀλαζονίστατος apud Platonem, ab ἀλαζών. Sed à positiuis in ος exeuntibus, multo plura. Legimus enim λαλίστατος, λαγνίστατος, πτωχίστατος, ὀψοφαγίστατος, à λάλος, λάγνος, πτωχὸς, ὀψοφάγος. Sub mentione autem superlatiuorum comparatiua itidem in ιστερος intellige, tam in his quàm in præcedentibus. Verùm ex his Atticis comparatiuis & superlatiuis, aliisque huiusmodi, sciendum est quædam ad Communem quoque linguã transisse: atque hoc de λαλίστερος & λαλίστατος potissimùm existimari.

Communẽ autem linguam, sicut hanc terminationem οτερος in plerisque comparatiuis, ita etiam ωτερος in quibusdam vsurpare sciẽdum est: & quidem duobus modis. Interdum enim ωτερος est pro ωοτερος, facta syncope: (vt παλαίτερος, χολαί-

τερος, γεραίτερος, ἡσυχαίτερος, (apud Xenophontẽ pariter & Plat.) pro παλαιότερος, χολαίοτερος, γεραιότερος ἡσυχαιότερος: interdum verò talem fieri syncopen dicere nõ possumus. vt in μεσαίτερος, ἰδιαίτερος, πλησιαίτερος, ὀψιαίτερος. Quem comparatiuum videmus & per εστερος efferri, (sicut alia multa quorum facta modò fuit mentio.) nam inuenitur & ὀψιέστερος. At verò Antesignanus, aliquid noui pariter & ridiculi suo more hîc quoque afferens, proponit nobis & ὀψιέστερος & ὀψίτερος. Nec minus ineptè ab eo exponitur positiuum ὄψιος: non solùm Tardè veniens, sed etiã Flagitiosus. In quibusdam verò eius edit. ὄψος non ὄψιος.

Verùm vt ad comparatiua in αιτερος redeam, sciendum vnum esse ex aduerbio factum. nam περαίτερος est à πέρα.

Quinetiam vnum est quod in hac terminatione syncopen etiam admittit. Nõ enim φιλαίτερος tantùm sed φίλτερος etiã legitur. Fortasse tamen nihilo magis ex φιλαίτερος quàm ex φιλώτερος passum esse syncopen dici etiã potest. Quanuis reclamare videatur Eustathius: qui postquam scripsit Xenophontem libro septimo φι-

λαῖτατον dixisse, sed pleraque exemplaria φιλώτατον ibi habere subiungit, τὸ μὲν οὖν τοι φίλτατος, ἐκ τούτων συγκοπὴν, περιεῖλε τὰς ἀμφιβόλους ἐκείνας γραφάς. Nisi intelligit Eustathius ita in vsum apud posteros venisse φίλτατος syncopē passum, vt parum curauerint scire vtri illarum scripturarū adhibenda potius esset fides.

Ne hoc quidem prætereundum est, inueniri apud illum scholiasten duo comparatiua quæ quanuis diphthongum αι, sicut præcedentia, habent, tamen & σ cū τ accipiunt: id est in αιτερος desinūt, nō in αιτερος, nec in εστερος, vt multa quorum à me facta mentio non multo antè fuit. Ea sunt, προυργιαίτερον, pag. 1441, & πλησιαίτερον, pag. 746. quum alioqui vulgo προργιαίτερον & πλησιαίτερον scribatur. Atque adeo hoc posterius modò à me quoq; ita scriptum fuit.

Quot nomina in ως ἀνωμάλως comparantur? Pag. 20, parte pr.

Sciendum est, ex his etiam quæ subiūguntur, nonnulla nō in ιων tantùm sed in οτερος quoque sua comparatiua formare. Nam vt de ἐσθλότερος & κακώτερος taceā,

ſcimus ἐχθρότερος non vno in loco inueniri: αἰσχρότερος autem, in pluribus etiam quàm illud.

Hoc præterea noſſe oportet, ſicut poetæ potius quàm ſolutæ orationis ſcriptores quorundam comparatiuorum regulariũ vſum ſibi concedunt, (quũ κακώτερος poeticum eſſe ſciamus) ita etiã quædã poſitiua apud hos nõ illos eſſe in vſu, quanuis comparatiuis & ſuperlatiuis æquè vtantur vtrique. Nam ἐλάττων ſeu ἐλάσσων & ἐλάχιστος (exempli gratia) non minus ab his quàm ab illis vſurpari conſtat: & tamẽ ἐλαχὺς ſeu ἐλαχὸς poſitiuum, ab illis duntaxat.

Ex aduerbijs, ἄνω, ἀνώτερος, ἀνώτατος.
Pag. 21, facie pr.

De hoc lectorem monẽdum hîc cenſuiſſem, quædam etiam cõparatiua & ſuperlatiua eſſe quæ vel ex aduerbio vel ex nomine oriunda dici poſſint. vt πρωϊαίτερος, πρωϊαίτατος, cur poti⁹ à πρώϊος quàm à πρωΐ originem habere putemus? Idem verò & de παλαίτερος ac παλαίτατος dici fortaſſe poſſet. quidni enim qui à πάλαι, potius quàm à παλαιὸς, ortum eſſe dixe-

rit, rationi consentanea & ipse loqui videri queat? Tunc autem minimè addendum esset syncopen fieri. Nec certè absimile vero esset, quum ex πάλαι facta essent παλαίτερος & παλαίτατος regulariter & absque syncope, postea ad eorum formam dicta fuisse χολαίτερος & γεραίτερος & ἡσυχαίτερος: sed syncopen adhibendo, quam illic adhibere minimè opus fuerat.

Multa sunt tamen quæ possessionem non significant, sic finita, sed affectionem quandam, alia copiam, alia materiam. Ibidem.

Præterquã quòd terminationes multæ omittuntur, nulla discriminis quod est inter eas ponendum, fit mentio. Hoc autem in nonnullis vocabulis minus facilè quàm in aliis declarari potest. Exempli gratia, difficile non fuerit ostendere quomodo Ῥωμαϊκὸς à Ῥωμαῖος sit distinguẽdum, vel πατρικὸς à πατρῷος: sed discrimen quod est inter νομικὸς & νομιμὸς, vel inter σαρκικὸς & σάρκινος nõ perinde manifestum esse possit. Quædam verò substantiua tria triũ terminationũ adiectiua habent. vt ab ἄνθρωπος dicitur ἀνθρώπινος, & ἀνθρώπιος, necnon ἀνθρωπικός: &

illa quidem duo priora plerunque vnum eundémque vſum habent, ſed diuerſum ab eo quem habet tertium.

Diminutiuorum fines. Ibidem.

De hoc ante omnia commonefaciendus erat lector, nonnulla eſſe quæ diminutiuorum ſpeciem præ ſe ferant, quum tamen haud talia ſint. Ex hoc autem numero eſt ἴχνιον ab ἴχνος. quod ἴχνιον quia hãc terminationem accipit κατὰ παραγωγὴν (vt Græci grammatici loquuntur) non quòd ὑποκορισμὸς eo ſignificetur: ideo accentũ in antepenultima habet. Sed tamen αὐλιον quod eodem modo προπαροξυνέται, an ὑποκορισικῶς an κατὰ παραγωγὴν deductum eſſet ἀπὸ τῆς αὐλῆς, dubitatum fuit. Ad βιβλίον quidem certè quod attinet, tanquam diminutiuum in penultima accentum habet: quanuis interdum & quidem frequẽter pro βίβλος accipiatur. At χρυσίον in diminutiui ſignificatione me legere non memini: quã tamen hic illi tribuit.

De θεραπαινὶς etiam, an ex θεράπαινα per diminutionẽ ſit factum, meritò quis ambigat.

Erat autem ostendendum & quomodo ex iisdem duo aut etiam tria, vel quatuor diuersæ formæ diminutiua deducerentur. Ex γυνὴ per ὑποκορισμὸν fiunt γύναιον & γυναικάριον. A μείραξ dicitur μειράκιον & μειρακίσκος. Sic à χιτὼν & χιτώνιον & χιτωνίσκος. Ab ἄνθρωπος, & ἀνθρώπιον & ἀνθρωπίσκος & ἀνθρωπάριον. A κόρη, & κόριον & κορίδιον & κορίσκη & κορίσκιον, necnon κοράσιον.

Atque hîc admonendus etiam erat lector vt obseruaret, multa diminutiua ex genere fœminino ad neutrum transire. Nam vt à γυνὴ habuisti paulo antè γύναιον & γυναικάριον, ita etiam habes hîc κόριον & κορίδιον, & κορίσκιον, necnon κοράσιον. Sed ιδιον frequentissima est eorum terminatio. nam eodem modo ex πόρνη formatur πορνίδιον: ex γνώμη, γνωμίδιον: ex ψυχὴ, ψυχίδιον: ex οὐσία, οὐσίδιον: ex λέξις, λεξίδιον, aut certè λεξείδιον. ex χελιδὼν, χελιδόνιον.

Quemadmodum autem πορνίδιον non solùm ad neutrum genus transiit ex fœminino πόρνη, sed etiam de fœmina sub illo neutro genere dicitur, ita pleraque neutra nomina propria vel in ιδιον, vel in

τιον

τιον aut νιον aut ειον aut σιον aut κιον, desinentia. Nam Βοίδιον dicta fuit quędam: alia Φιλώτιον, alia Γναθαίνιον, alia Γλυκέριον, alia Φρονήσιον, alia Πινάκιον nominata fuit.

Hoc quoque dignum erat cuius lector admoneretur, vnam præcipuè terminationem esse quæ cum diminutione contemptum quoque plerunque significat. Eam autem esse αριον. Sic certè dixit Xenophon ἱππάριον non de paruo tantùm sed de vili simul equo. Sic ἀνθρωπάριον, sic γυναικάριον per cõtemptum dicta memini me legere.

Omnium certè frequentissima in diminutione terminatio est illa ιον, & quæ ad omnem declinationem accommodatur. (quod dicens, complector sub ea nón solùm κιον, νιον, πιον, ριον, λιον, sed etiam ιδιον & υδριον, necnon ασιον) non solùm enim ex κόρη fit κόριον, ex Γλυκέρα, Γλυκέριον, ex φαρέτρα φαρέτριον, ex γνώμη γνωμίδιον, ex ἵππος ἱππάριον, ex ῥῆμα ῥημάτιον, verumetiã ex χελιδὼν, χελιδόνιον, itidémque ex ἀηδὼν ἀηδόνιον. Quódq; maius est, cæterarũ terminationum nulla huic additur: at verò hæc plerisque illarum addita diminutionem auget. Postquam enim

ex νῆσος feciſti νησὶς, ex παῖς, παιδίον, ex χιτὼν, χιτώνιον: ex κόρη, κόριον: item ex πόλις, πολίχνη: facis ex νησὶς, νησίδιον: ex παιδίον, παιδάριον, itidémque ex χιτώνιον, χιτωνάριον: necnon ex κόριον, κοράσιον: denique ex πολίχνη, πολίχνιον. Quinetiam alia afferuntur, ſed minus vſitata, χιτωνισκάριον, ex χιτωνίσκος, & ῥηματίσκιον, ex ῥημάτιον: ſic ἱματιδάριον ex ἱματίδιον: & χρυσιδάριον ex χρυσίδιον. at verò βιβλαρίδιον, (ex βιβλίδιον) peculiari quadam forma. Niſi ſcribendum ſit potius βιβλιδάριον, ad præcedētium formam. Sed & βιβλίδριον & βιβλάριον leguntur. Iam verò & diminutiuis in υλλος illam terminationem addere nō dubitarim: ex Βάθυλλος (quod ex Βαθυκλῆς diminutum eſt) faciens Βαθύλλιον: itidémque ex Ἀρίσυλλος, Ἀρισύλλιον.

Quum autem in præcedentibus magnam partem terminationum nominū ὑποκορισικῶν, quas hic prætermiſerat, recenſuerim, vnam prætermiſi, quæ tamen minus quàm alia vlla à lectore nō admonito adnimaduerti poſſit. Ea eſt in ᾶς. vt Ζλωᾶς ex Ζλωόδωτος. itidémque Μλωᾶς ex Μλωόδωρος. Sunt verò duæ & aliæ, miræ

& ipſæ,ſed controuerſæ.

Pulchra & illa eſt diminutio(cuius mẽtio à nullo, quod ſciam, facta eſt grãmatico)in nomine μικρὸς quo Paruus ſignificatur. Nam ex μικρὸς fit μικκὸς, deinde ex hoc μικκὸς fit μικκύλος.

Maſculina finiunt vel in άδης,vel in ίδης, penultima breui. Pag.22,parte pr.

Ita certè & alii nonnulli grammatici nimis anguſtis finibus patronymica maſculina incluſerunt. Quomodo enim verũ eſſe hoc poteſt, maſculina omnia finiri vel in άδης vel in ίδης,penultima breui: quum non ſolùm Πριαμίδης & Μενοιτιάδης & Αἰακίδης, à Πρίαμος & Μενοίτιος & Αἰακὸς inueniãtur,(quibus ſimile eſt Μεμνονίδης à Μέμνων) ſed etiã Ἀτρείδης ab Ἀτρεὺς, & Πηλείδης à Πηλεὺς, aliáque huiuſmodi multa? quinetiam Παυθοίδης à Πάνθοις?

Atque adeo hic ipſe grãmaticus paulo pòſt,afferens non ſolùm Πηλεΐδης, ſed etiam contractum Πηλείδης, ſibimet cõtradicit:quum Homerus non illo ſed hoc vti ſoleat,eodémque modo Ἀτρείδης,non Ἀτρεΐδης dicat. Quod verò ſcribit,etiã

Πηλεϊάδης, id fit per epentheſin,cum aliqua etiam mutatione coniunctam: (mutatione inquam Ionica literę ε in η)quum in Ἀμφιτρυωνιάδης aliud non ſit quàm literæ α epentheſis.fit enim ex Ἀμφιτρίωνίδης. At verò in Ἰαπετιονίδης duarum eſt ſyllabarum epentheſis,quum dicatur pro Ἰαπετίδης ab Ἰαπετός: ſicut Πριαμίδης à Πρίαμος. Niſi potius illud Ἰαπετιονίδης non ex Ἰαπετὸς (per talem epentheſin) fieri, ſed ex Ἰαπετίων deduci putandum eſt. Verùm quis hoc vſus ſit quærendum: quum alioqui tale videri queat Ἰαπετίων ex Ἰαπετὸς, quale Κρονίων ex Κρόνος: (quæ patronymici terminatio Ionicæ linguæ adſcribitur)& tunc,quemadmodum Ἰαπετίδης ex Ἰαπετὸς, ita Ἰαπετιονίδης ex Ἰαπετίων factum diceretur. Sed præterquam quòd ω in ο mutaretur, & nouo etiam fortaſſe exemplo vna terminatio patronymica alteri adderetur, ſi illud diceremus: pro illa priori opinione facit hoc fortaſſe quòd qualis in Ἰαπετιονίδης eſſet epentheſis, talem ſyncopen in Δευκαλίδης & Ἠετίδης cernamus: quum ſint pro Δευκαλιωνίδης & Ἠετιωνίδης: alio nullo diſcrimine quàm quòd hîc quidem eſt

ω, illic verò est ο.

Omittit præterea, sicut & cæteri grãmatici, eum patronymicum typum qui est desinentium in ιος. Quorum è numero est Τελαμώνιος, apud ipsum Homerũ, Τελαμωνιος Αἴας. Assentitur autem mihi hac in re Eustathius: sed in hoc ab eo dissentio, quòd etiã vbi additur υἱὸς, esse vult patronymiam: vt in Καπανήϊος υἱός. quod eadem ratione de Νηλήϊῳ υἷι dicendum esset, initio Iliad. β. At ego vtraque possessiuorum potius quàm patronymicorum nominum obtinere locum crediderim: sicut & quũ Νηλήϊοι ἵπποι dicitur. Nam quæ ab illo affertur ratio, paruum apud me pondus habet, & apud alios quoque, vt opinor, est habitura: ideo addi υἱὸς vt à possessiuo distinguatur. Si enim hac distinctione opus esset, etiam cum Τελαμώνιος poneretur. Idem existimat ex Νηλήϊος fieri posse Νηλιάδης, & quidem ita vt vocem Πηλιάδης (de qua paulo antè dictum est) eodem modo præcedere dicatur Πηλήϊος. Hoc addam, de ista in ϊος patronymicorum terminatione, Virgilium eius exemplo videri posse dixisse Priameia virgo: nimirum vt si pro Πρια-

μίδης diceretur Πριαμήϊος.

Vnde fiunt patronymica fœminina? A suis masc.&c. Pag.22,facie poster.

Non satis aptum est exemplum, quòd sit nomen ἐθνικὸν,ab Ιλιον: sed afferuntur etiam Ἡλιὰς & Βορεάς. Alteram autem ad terminationem quod attinet, illi Πριαμὶς simile est Θεσπρίς. Sed sciendum est inueniri etiam Phaëthõtiadas apud Virgilium, tanquam à nominatiuo singulari Φαεθοντιάς: perinde videlicet ac si pro Πριαμὶς Πριαμίδος, & Θεσπρὶς Θεσπρίδος dicas Πριαμιὰς Πριαμιάδος, & Θεσπριὰς Θεσπριάδος. Verùm licentia hoc Virgiliana dictum fuit, vel poetica potius, quum Ouidius quoque tali literæ α epẽthesi vtens dixerit Atlantiades. Nec verò hîc tantùm aliqua in patronymicis vsus est licentia Virgilius,sed etiam quum viciſſim ea decurtans dixit Scipiadas pro Scipionidas: (vt Ἀπετίδης & Ἀπετιονίδης legi docui)& Æneide, pro Æneade: nisi tamen hoc non illo modo scribendum est.

Sed addita est etiam terminatio fœmininorum in ίνη, vt ab Ἀνδρασος, Ἀνδρασίνη. Ibid.

Imò verò alia quoque est patronymicorum fœminei generis terminatio, in ώνη: vt Ἀνρισιώνη, ab Ἀνρίσιος: & Ἰκαριώνη, ab Ἰκάριος: necnon Ἠετιώνη, ab Ἠετίων. eodémque modo cætera quæ ex nominibus propriis α purum habentibus fiunt.

Hoc quoque prætermittẽdum non erat, imò verò de hoc diligenter admonẽdus erat lector, quædam patronymicorũ speciem præ se ferre quæ tamen minimè sint patronymica, sed simpliciter velut per παραγωγὴν facta: vt Σιμωνίδης ex Σίμων, & Φιλιππίδης ex Φίλιππος. quidam verò denominatiua vocarunt. Eustathius autem fortasse de his idem diceret quod de istis, Δημάδης, Καρνεάδης, Σωτάδης. Quid autem de his dicit? non esse πατρωνυμικὰ, sed ὡς πατρωνυμικά.

HACTENVS IN NOMINA.

BIBLIOTEKA BIBLIASKA

Ob. 6. II. 3439

